




3
4
35










AENEAE PLATONICI Christiani de immortalitate animæ, deq; corporum resurrectione dialogus aureus, qui Theophrastus inscribitur, Ambrosio Camaldulensi interprete.

ATHENAGORAS Atheniensis de resurrectione, Marsilio Ficino interprete.

XYSTI PYTHAGORICI sententiæ, Rufino interprete.



BEATVS RHENANVS REVERENDO PATRI PAVLO VOLZIO ABBATI HVGO-NICAE CVRIAE IN VALLE VOGESINA, S. D.

HVnc Aeneæ cuiusdã dialogũ, Michael ille Humelbergius meus ex urbe mihi nuper misit, ut Frobenianis typis apud nos excuderetur. Ego qdẽ ut primũ accepi, cursim transiui sesquihorã illi impartitus. Cõperi in legẽdo nõ Platonis aut Porphyrij aut Syriani deniq; uel Procli illũ fuisse auditorẽ, sed circa Zenonis & Anastasij tẽpora floruisse, Platonicæ doctrinæ studiosum. Nã circa dialogi finẽ uidisse se magnæ Lybiæ sacerdotes ait, exectis a tyranno linguis articulata nihilosecius uerba ꝓnunciãteis. Qd' supplicij gen9 Hunericus Vuandalorũ rex qui tunc Afris imperitabat, homusianis inflixit, sic eñ orthodoxos in quadã epl̃a uocat, cũ ipse faueret Arrianæ factioni. Quanq̃; nihil uetat ut disputantẽ & exẽplis ac miraculis rei fidẽ facere conatũ, nõ interfuisse rei, quã q̃ uehementius asseueraret, se corã inspexisse dixerit, ut etiã ætate posteriori uixisse illum credere possis. Eruditio certe hoĩs & mysteriorũ philosophiæ præsertim Platonicæ neutiq̃; uulgaris cognitio, tũ poeticarũ fabularũ passim intertexti flores, illis fuisse tẽporib9 uicinũ arguunt. Nã tunc & authores supererãt in utraq; lingua ꝓbatissimi quiq;, & inueniebant' qui ueteris eruditionis imaginẽ seu poti9 umbrã quandam referrẽt, inter Cœnobitas p̃cipue qui scd̃m Basilei institutũ, & mox apud nos scd̃m B̃ndicti uestri cõstitutionẽ uiuebãt. Ad hos eñ rei litterariæ summa redierat, cũ totus alioqui mũdus bellorũ ꝓcellis sursum ac deorsum moueret'. Porro

negat

negat primũ Aeneas in hoc dialogo Platonicorũ μετενσωμάτωσιν, hoc est, animæ de corpe in corp⁹ migrationẽ, docetq; nõ ante uixisse animã, neq; rursus hic uicturã, Porphyriũ & Iamblichũ ridẽs. Deinde Syrianũ ac Proclum damnat, nec nõ celebrem illam Pythagoræ παλιγγενεσίαν, & Apollonium Tyaneũ nobilẽ illũ impostorẽ. Sub hæc illorũ opinionẽ refellit, qui priorẽ aiæ uitã astruũt, nẽpe q̃ hic sit paup, ille diues, hic ægrotus, ille salubri corpe, q̃si ṽo hæc uel ob admissam ante noxã, uel ob prioris uitæ bñ merita contingant, & nõ poti⁹ ex dei prouidẽtia. Mox extollit liberũ arbitriũ. Postremo docet imortalẽ esse animã, & suo uestitã corpe resurrecturã, rationẽ reddẽs cur deus supramũdanos spũs simul produxerit, aĩas ṽo q̃tidie creet, mũdũq; hunc aliqñ soluendum ostendit, neq; animã in hanc uitã redituram. Hæc ferme q̃ retulimus ordine disputant᷑. Tu igit᷑ Abba doctissime cũ occupationũ istarũ habere solatiũ aliqd᷑ expetes, quib⁹ nõ parũ distineris dũ cœnobiũ tuũ superiorũ negligẽtia misere collapsum restituere, & a decoctorib⁹ quibusdã, multifariam obstrictũ liberare studes, ac cũ seuerioris studij tædiũ aliqñ discutere libebit, uidelicet post noui testamẽti, qd᷑ nũc dies noctesq; euoluere diceris, latina cum Græcis conferẽs, Hieronymiq; lectionẽ, in q̃ totus nunc uersaris, hoc libelli sumes in manũ. nã res cõtinet theologi cognitione dignas, idq; multo sanctius, q̃ in scholis Scotistæ argutant᷑. Adieci huic dialogo uelut auctariũ, Athenagoræ quædam Atheniensis eodem pertinẽtia, & Xysti philosophi γνωμίδια, hoc est, sentẽtiolas, ad antiquũ exẽplar, qd᷑ apud diuam Fidem Selestadij habetur, a me nuper recognitas. Bene Vale. Basileæ. Sexto idus Septembr. AN. M D XVI.

DOMINO AMANTISSIMO ET PRAESTANTISSIMO VIRO ANDREOLO IVSTINIANO AMBROSIVS SALVTEM.

OPVSCVLVM Aeneæ cuiuſdam docti plane, & eruditi uiri, cum græce legerem, latinum facere placuit. Eſt enim ea uel doctrinæ gratia, uel materiæ dignitas, ut uel inertes quoſq; animos in admirationem ſui excitare poſſit. De anima quippe illi omnis ſermo eſt, agitq; ſubtiliter iſta uiri diſputatio, ut docti quiq;, gentiliumq; diſciplinis imbuti, ſenſim & per rationes ad fidei catholicæ rudimenta, & pietatis penetralia ipſa, pertingant, dum philoſophorũ uanas & uarias atq; inter ſe diſſidentes, de anima opiniones uerisſimis rationibus argumentiſq; cõfutat, ueritatemq; Chriſtianæ fidei & nauiter & grate atq; uenuſte ſubinſerit. Id quicquid eſt laboris noſtri tibi uiro omniũ humaniſſimo, & optime de nobis merito dicandũ fuit, ut eſſet penes te perpetuũ noſtri amoris monumentum. Accipies igitur Andreole uir illuſtris Aeneam noſtrũ iam plane piũ, & per te Roma accipiat ſuæ gentis autorem, qui longe uerius de ſe ꝓteſtari poſſit, Sum pius Aeneas, q̃ ille olim Anchiſæ filius. Neq; enim illius ſi qua in patrem pietas fuit, huius noſtri diuinæ pietati ulla prorſus ratione conferenda eſt. Accipies inq̃ opuſculum ipſum grato animo & diligenter releges. Inuenies enim plurima & iucunda cognitu, & neceſſaria ſcitu. Aeneamq; ipſum qui dudum ſcopulos ueſtros prætereuectus fuerat, uobis redditum gratulabere. Qui ſi minus maieſtatis habere uidebitur, peregrinationi longinquæ acceptum referes, ex qua uelut pulueris & ſitus quiddam contraxiſſe illum, nihil eſt cur admirari debeamus.

rari debeamus. Lætum tamen atq; hilarem ubiq; deprehendes, & qui nihil habeat rusticitatis admixtum. Sed enim uere id prosecutus sim, nec ne, tibi iam iudicandum relinquo. Adest enim ille, tecum assidue futurus, ut effugere grauissimum iudicium tuum nequaq̃ possit. Vale.

AENEAE PLATONICI VIRI CLARISSIMI DIALOGVS, QVI THEOPHRASTVS INSCRIBITVR.

INTERLOCVTORES AEGYPTVS ALEXANDRINVS, EVXITHEVS SYRVS, THEOPHRASTVS ATHENIENSIS.

AEGYPTVS.



QVo tu Euxithee uel unde? EVXITHEVS. E Syria Athenas ferebar o Aegypte, sed aduersa ui uenti acta nauis, interrupta nauigatio est. Et ecce secus atq; institueram adsum tibi, Nilum pro Eleusio, Pharumq; pro Pyreo intuens. AEGYPTVS. Ingentes auris habeo gratias, q; te uel inuitum diuertere ad amicos impulerunt. An uero non meministi Hieroclis philosophiæ, apud quem a puero sapientiæ studijs pariter instituebamur, quo in tempore cum mutuo singulari affectu astricti teneremur, plerosq; etiam habuimus nostri studiosos? Equidẽ, ut de me fatear, nunq̃ meminime acriori mœrore confectum q̃ cum omni sapientia imbutus, profectus a nobis es, atq; in patriam te recepisti. Huius deniq; charissimæ & antiquissimæ consuetudinis nostræ affectus necdum defluxit, sed ita hactenus uiget, ac si heri profectus esses, cum certe plures annos te non uiderim, neq; uisurum

arbitratus ſim. Sed fortuna profecto quædam mecum faci-
ens, quod cupiebam præter omnem ſpem & expectationẽ, ut adeſſes effecit. EVXI. Iam nunc fortunæ congratulor neq; ultra aduerſum dixerim uentum, ſed plane ſecundiſſimum, feſtiuum, atq; lætum, amoriq; in primis familiarem, quandoquidem amantes ut ſui inuicem fruantur contubernio ſtudioſe molitur. Verum dic queſo an adhuc ſuperſint apud uos, qui philoſophiæ myſteria aperiant, cuiuſmodi erat Hierocles præceptor? Adhuc ſe in philoſophiæ ſtudijs exercent, teruntq; magiſtrorum limina præclari honeſtiq; adoleſcẽtes, qualem fuiſſe retines Protagoram Lycium, meum quidem æqualem, ſed ingenio & oris gratia præſtantẽ? AEGY. Vigebant olim quidem hæc honeſtiſſima humanitatis ſtudia, Sed nunc iam ſane periere, atq; omnino diſſoluta ſunt. Nam is quidem addiſcere non uult, qui diſcipulorũ aſcribitur numero, & qui præceptorem ſimulat, docere non nouit. Atq; ſaltatorius quidẽ ludus ac circus maiore in dies frequentia urgetur, philoſophia uero ac ſcholæ in horrendam deuenere ſolitudinem. EVXI. Et ego hæc ita ſe habere cõiectura aſſequebar, atq; ideo Aegypto obmiſſa, Athenas petebam, ut ſi qui uel apud Athenienſes eſſet reliquus ſapiens explorarem diligẽtius. Cupio enim ab eis, id, ſi poſſim, ſciſcitando diſcere, quod & ueteribus & noſtri temporis ingenijs maxime uidetur ambiguum, adeo ut pleriq; de eo alias aliter diſſerant. AEGY. Habes hic Athenas, o amicum caput, ſi tibi non arcem neq; propylea, neq; naualia, ſed ſapientem uirum uiſendi cura eſt. Appulit enim Theophraſtus maxima Athenienſium gloria, tertiũq; apud nos hunc agit diem, ſed pergamus illum ſalutatũ. Is enim te uel quæ cupis edocebit, aut certe ab homine nõ eſſe inquirenda admonebit

monebit. Neq; enim Athenis, neq; usq; alibi Theophrasto sapientiorem cui congredi possis inuenies. EVXI. Deus bone quam fauste mihi contingit, quandoquidem penes Nilum offendi Atheniensium philosophiam, ut ad ea edifcenda quæ cupio maxima pelagi spatia transmittere opus non sit. Sed proficiscamur, iam enim Theophrasti amantissimus effectus sum. AEGY. Euxitheum ego ad te adduco mecũ una tui studiosum Theophraste. Est enim ipse quoq; philosophiæ studijs in primis deditus. THEOPH. Antiquissimus mihi fuerit amicus Euxitheus, si quidem est philosophiæ studiosus. Res enim præclara est atq; rarissima. Nam Athenis quoq; ubi quondam præcipue philosophia floruit, summoq; in honore fuit, iam fere penitus ignota est, & pro nihilo abiecta. EVXI. Frustra igitur Athenas contendebam, si (ut asseris) nullus ibi quoq; reliquus est, qui possit ad ea quæ quisq; rogarit, respondere. Neq; iam frustra mea illuc nauigatio impedita est, quando ex dei munere uirum in philosophiæ studijs eminẽtissimum & Atheniensium principem apud Nilum inueni. Sed quæso te, quoniam asserit Aegyptus iste neminem esse, a quo possit quis cõmodius quam abs te quod uelit addiscere, licet ne interrogare quod uolo? THEOPHRASTVS. Tu uero interroga, si quidem mihi gratificari cupis. Nullus enim me iam plures annos noui quippiam interrogauit. EVXI. Felices plane sumus, qui eum uirum nacti fuerimus, cuius cum doctrina beniuolentia contendit, quiq; quos uberius docuerit eos charius diligit. Dic ergo obsecro, num antea hic uixerit anima, rursumq; uictura sit? An præsenti hac uita semel exacta, humanis rebus soluta oĩno, ac libera euaserit? THEO. Vt est ueterum opinio philosophorum, & uixit antea & postmodũ

postmodũ uictura est. EVXI. Eandẽ ergo animã in hanc uitam sæpius descendere autumas. THEO. Ita sane nisi tu sapientius aliquid afferas. EVXI. Sponte rursus huc uentura est, an ex necessitate? THEOPH. Ego tibi ueterum arcana sapientum, ueluti in sacro quodam adyto tentabo aperire. Heraclitus quidem qui successionem necessariam posuit, e summis ad ima contraq; ex imis ad summa iter animam agere dixit, Esse enim laboris immodici, in eisdem supernis licet sedibus perpetuo degendo fatigari, & cum dijs conuersari iugiter, eisq; subijci. Atq; ideo partim quiescendi desyderio illectam, partim imperandi spe erectam ferri ad inferiora animam dixit. Porro Empedocles exterret, legem esse dicens animabus quæ ante peccauerint, ut de cœlestibus ad ima dilabantur, id fere subinsinuans, quod & Pythagoras significauit. Auus autem noster Plato plurima atq; præclara de anima disserit, deq; hoc ei⁹ itinere plærisq; in locis mentionem facit. Et nunc quidem in Phædone Socrates sensibilia cuncta cõtemnens, & animæ ad corpus cõmunionem perhorrescens, uinctam, ac ueluti in corpore sepultam animam queritur, uehementerq; probat atq; admiratur arcanum illud & uetus eulogium quo dicitur, In carcere quodã, postq̃ uenimus, fuimus. Hoc autem omne Empedocles quidem antrum dixit, Plato autem in eis libris quos de re publica scripsit, immutato nomine Spelæum appellat, Deniq; profectionem hinc animæ, nexuũ solutionẽ Spelæiq; fugam esse ait. Alias aũt in Phædro, Socrates descendẽtes animas pennis leues intueri se dixit, easq; quibus pennæ defluerẽt grauari pondere ac deorsum ferri, quo ad corpori appropinquantes subsiderent. Et hanc aduẽtus animæ causam esse. Rursusq; cũ ad superna redierint, euolutis

[Marginal notes: Heraclitus · Empedocles. · Pythag. Plato. · Antrũ Empedoclis. · Spelæum Platonis.]

quibusdam

quibusdam temporũ circulis, huc illam denuo præcipitari, & ad iudicium atq; ultionem mitti. Quin & sors & fors ac necessitates huc illam, ut est eius sentẽtia, detrahunt. Ita cum omnibus in locis descensum animæ ad corpus detestatus esset, Timæum postea cõscribens, mutata sententia, huiusmodi aduentum laudat, atq; hunc mundum admiratur, fœlicem deum appellans. Animamq; hic apparuisse perlibenter suscipit, eamq; a summo rerum opifice datam & ipse credit, & alios ut credant, summa ui persuasionis inducit, operepræcium fuisse asseuerans, ut hoc omne, mente ac ratione teneretur. Inanimatum enim fieri opus a deo eximium nõ potuisse, sed perfectum atq; consummatum. Id autẽ uniuscuiusq; animam uniuerso cõferre, dum sensibile hoc excitat, continet, ornat, atq; disponit, sponte uolenti conditori seruiens, ne imperfectum uideretur pulcherrimum hoc illius opificium. Voluit enim supremus ille rerum opifex in hoc mundo sensibili ac uisibili ostendere quæq; in intellectuali illo, & inuisibili multis antea sæculis erant. Hæc Plato noster. Porro discipulus eius Aristoteles nõ ita sentit, sed nouo Aristoteles effícto nomine entelechiam appellat animam, ut quæ materiæ extremam, ut dicitur, imponat manum, eamq; cum sit species, una cum corpore dissolui autumat. EVXI. Felicem te aio Theophraste quod plurima ac uaria cum sint, quæ ueteres dixere nihil te eorum fugit, sed ita cuncta edoces, ut tua non aliorum inuenta prosequi puteris. Memoria præterea plus uales q̃ Hippias, uisusq; es non imparatus. Ve- Hippias rum quid ago? Dubius hacten⁹ persisto, neq; quid sequar, quarumue partium fiam, exploratum habeo. Ignoro enim cuius mihi sententia sequenda, cuiue accedendum sit, Heraclito ne, cui uidetur animæ in hunc mundum fugam, priorũ

laborum esse requiem, an Empedocli, qui ad eorū exoluenda supplicia, quæ ante peccauit, in hanc uitam animam ablegat, aut Platoni potius, qui alias quidem ad supplicia luenda, alias uero ut perfectum esset hoc omne, nunc sponte, nunc autē inuitam, aliquādo adactam ui, aliquando motu proprio quocunq; uelit emitti animam dicit. Aristotelem præterire libet, qui ob nimiam immoderatamq; sapiētiam, animorum immortalitatē tulit. Singuli deniq; opiniones reliquorum labefactare atq; conuellere nituntur. Neq; inuicem modo, uerum & sibiipsis contraria sæpenumero philosophantur. THEOPH. Academici quidem Platonem secum dissidere, sibiq; ipsi contraria dixisse uideri uolunt, uerba eius atq; sentētias, ut sibi placitum est, transferre molientes, ut faciunt qui oracula diuina pro sua uoluntate interpretari pergunt. Sed hi profecto nimium mihi insolentes atq; uiolenti uideri solent. Neq; enim aut fuit unq̄ aut esse poterit, qui Platone melius, apertius, dignius, quod libitum fuerit explicare possit. Qui autem uerecundiores sunt magistrumq; uideri secum dissentire erubescunt, aliud ipsi defensione sua crimen impingunt. Aut enim præceptor obscurus philosophus fuit, aut inuidia sensus suos occuluit. Atqui neutrum horum perpessus est Plato. Verum enim huiusmodi minime aduertūt siue, calumniatores ingrati, siue defensores ignaui, magistrum suum, Chaldæorū, Aegyptiorumq; philosophiam græciæ sensim intulisse, Pythagoræq; & Heracliti atq; Empedoclis doctrinis libros suos refersisse, ex quo fit ut alias aliter loquatur, uideaturq; sibi plærumq; aduersari, dum studet, ut nihil eorum quæ sapiēter uspiam inuenta sunt, eis ignotum sit, qui in Academia philosopharentur. Exēpli causa, cum de materia disputat, alicubi factā, alibi

Academici

Cur Plato uariet in opinionib'

alibi uero infectam pronunciat. Cæterũ ipſius poſteri cum Platonis ſcientiam uariam atq; mirabilem haud quaq; animaduerterẽt, affectarẽtq; ſinguli noui aliquid primi uideri excogitaſſe, inter ſe atq; aduerſum ſe, bella ſeditioneſq; concitarunt. Sicq; diſperſi ac diſiecti, id quod mihi imprimis & ingratum & moleſtum uideri ſolet, nec Platoni iam, nec ſibi ipſis cohæſerunt. EVXI. Præclare tu quidem Platonem tueris tuum. Ego uero tanta ſentẽtiarũ uarietate turbatus, hærenſq; atq; fluctuans, patriæ parentumq; affectu poſthabito, Athenas petebam, ut uel ibi ſi fieri poſſet huiuſmodi euaderem ſcrupulos. At uero cum hic te offenderim, tuamq; ſapientiam ſingulariter ſim admiratus, uix poſſum non maiore quadam admiratione moueri, ſi hæc explorata habens & cognita, Pythagoram adhuc & Platonem Chaldæoſq; & Aegyptios, infra ſupraq; componens, uenerari perſiſtis, quando non eadem eiſdem de rebus ſentiunt omnes, ſecumq; diſſident etiam ſinguli. Nam cõtraria nec ſibi cohærentia loqui, non peritiæ ſed imperitiæ eſt atq; dementiæ. Conſtatq; huiuſce dogmatis nõ deum eſſe authorem, eadem enim profecto ſentirent omnes atq; loquerent̃, ſed humanam quandam elationem & arrogantiam, ex qua fit ut plurima contrariaq; afferantur. THEOPH. Noui hoc & ipſe uirorum optime, uerum Platoni quoq; ipſi placet, eatenus ſtandum decretis ſuis, obtemperandumq; præceptis, quoad ſacratior aliquis homo appareat in terris, qui ipſum fontem ueritatis aperiat, quem rurſus ſequant̃ omnes. EVXI. Rectiſſime omnino. Sed dic obſecro, num hactenus uerum aliquid ac ſolidum inuentum fuerit, cui innitamur? Perturbat enim me ueterum philoſophorum infinita cõtentio. Ex his enim, alij rurſus in homines, alij uero

 in beſtias

in bestias humanas animas præcipitarunt. THEOPH. Stuperes profecto si cuncta didicisses, tanta est dicentium pugna. Mihi deniq; mecum sæpe talia uoluenti, ac ueluti e sublimi quadã specula huiuscemodi pugnam prospectanti, cuncta, cæde, sanguine, funere, feruere uidebantur, quam uolo tibi (es enim audiendi ac discendi studiosus) ueluti in tabella pingere. Aegyptij quidem eandem animam & hominem & bouem & canem auemq; ac piscem induere autumant. Atq; ut illorũ fert opinio, nunc quidem beluino ritu formicam induta & camelum, humum pascitur, nunc uero in piscem dilapsa, balena seu rumbus efficitur mariq; immergitur. Alias in auem uersa, pica, aut luscinia protinus cernitur, & aera uolatu petit. Alias aliud genus animantiũ subijt, quoad uniuersis peruagatis, rursus unde prius descẽderat redeat. EVXI. Me miserum, quæ prodigia, quæ portenta audio. Qꝫ sane fœlix fuero, si camelus & rumbus ac pica fiam. Ne tu Aegypte his accedendum putas? Equidẽ Theophrastum satis admirari nequeo. Si quidem huiusmodi doctrinæ monstra non ignorans, Aegyptijs adhuc se immisceri patitur. THEOPH. Apollo ipse eiusq; filius, Plato, eiusdem Euxithee, cuius Aegyptij fuere sententiæ. Nam Apollo quidem responsis suis ubiq; Aegyptiorũ inuentis acquiescendum iubet. Plato autem in Timæo tradit uirorum animas quæ hac in uita molles & effœminatæ fuerint, in mulieres reuiuiscere. Quæ uero uitijs immersæ, eas in bestias dilabi, animantibusq; feris inuersari, & cum auibus grege facto una uolare, piscibusq; cõiunctas innare undis. Vbi uero Socratis disputationem cum Phædone ac cæteris habitam prosequitur, qui studuissent auaritiæ promptiq; semper, ac parati ad rapinas fuissent, eos in miluos, luposq; conuertit.

Marginalia: Aegyptij; Apollo; Plato

conuertit. Qui uero fœdis cōcupiſcentijs manus dediſſent, eos in aſinos deiecit. Cum uero fœlicem illam ciuitatē conderet, illic ferme ait, Orpheum Calliopes filium cum a mulieribus fœde diſcerptus exceſſiſſet ex uita, homine, quod erat, derelicto in cycnum fuiſſe conuerſum. Vt qui inſignis muſicus fuerat, muſicam poſtmodū quoq; exerceret. Therſites item apud illum omnium qui ad Ilium uenere turpiſſimus, Achillem Agamemnoni exprobrantem, heroaſq; imitans, in ſimiam uertitur, imitaturq; hominum geſta, non re, ſed ſpecie ipſa mutata. EVXI. Quid ergo o amice? Ii qui Platonis arcanos, ac penitus reconditos ſenſus aperire ſolent nihil ne, ut in cæteris, ita in ijs quoq; aliquid ſacratius latere docent, ut magiſtri uerecundiam aliquo honeſto uelamine obtegant, nomina mouentes ſenſuſq; miſcentes? THEOPH. Veteres illi quidem Platonici ab eo appellati, eorum quæ ille dixerat nihil omnino immutarunt, non ignorantes Platonem Aegyptiorum imbutum diſciplinis, id ab illis profunde imbibiſſe, animam hominis in omnes tranſire animantes, ac perinde eam opinionem per omnes libros ſuos diſſeminaſſe, Plotinus nempe & Harpocratio, Boethus item atq; Numenius, Platonis miluum, ut acceperant, miluum tradiderunt, & lupum lupum, & aſinum, hoc ipſum, ſimiamq; non aliud q̄ ſimiam dixere. Cycnus item ab eis nil aliud q̄ holor exponit. Ii prius q̄ corpori iungatur anima, fieri poſſe dicunt ut mutorum quoq; ſibi ſimilitudinem conſciſcat. Et cui quæq; ſimilis fuerit, eius ritu ferri illam uolunt. Aliaq; iuxta illos aliud ſe animal induit. Porro iuniores ex eadē ſchola Porphyrius & Iamblichus. cum priores ſuos ſapientia tranſcenderent, Platonis aſinum lupumq; & miluum erubuere, rite animaduertentes aliam ra-

Orpheus

Therſites

Platonici

Plotinus

Harpocra.

Boethus

Numenius

Porphyri⁹.

Iamblichus

tionalis animi esse substantiam, aliam irrationabilis, neq; migrare posse substantias, uerum eiusmodi pseuerare quales primum processere. Neq; enim esse accidens animæ rationem ut commigret, uerum excellentiam substantiæ firmissime hærentē, & penitus insitam, nec possibile omnino esse ut res rationalis in irrationalem traducatur. Neq; item quod ratione careat, furari posse rationē. Ista sero tandem aduertentes hi quos modo memorauimus, mutaq; animalia transeuntes, priorum errore confutato, hominem haud quaq; in asinum, sed in asininum hominē reuiuiscere, neq; item in leonem, uerum in leoninum hominem dicunt. Non enim naturam animi, sed corporis formam ac lineamenta uestiri, ut faciunt in scæna Tragœdiæ histriones, qui nunc Alcmeonem simulant, nunc Horestem. EVXI. Filum filo (ut dicitur) hac ratione connectunt Theophraste, malumq; malo curare pergunt. Quid enim necesse est animā uinculis corporis eripi, si rursus in aliud corpus detrudenda est? Ociosa quippe iam uideri potest mors, ac nequicq; in medium adduci. Oportebat enim improborum ac nequā hominum, eatenus proferri uitam, quo ad illorum propagandi essent cruciatus. Nam quæ ratio est, ut cū in lasciuiam prolapsa fuerit anima, & mille libidinibus non secus ac regi nis succubuerit, seruitutemq; omniū fœdissimam seruierit, eam rursus ob causam, ut pœnas det, in asininum hominē emissa reuiuiscat? An ut turpissimis uoluptatibus magis magisq; iterum seruiat? Atqui hoc non supplicium, sed nequitiæ licentia & impunitas est, fitq; cruciatus non intemperantiæ abscisio, sed ualidior ac firmior adiectio. O præclaram uirorum sapientiam. Nempe morborum resecatio medicina esse putatur, comprimens, cedens, urens, secans, ac prorsus

Ratio

Videtur legendum: Linū lino. Prouerbiū est apud Platonem, hoc friuola friuolis.

Cōtra Porphyrium

prorſus excidens, nõ excitans aut irritans, aut aliam quamlibet materiam morbi excogitans. At hi morum magiſtri contra penitus faciunt, ueluti ſi quis iudex, hominẽ nactus furti reum, nihil eum pati decerneret, magiſq; templa ingredi & inde quicquid uellet aſportare hortaretur, ſuæq; auariciæ abunde ſatiſfacere. Atq; ideo illi maxime liceret expilare donaria, quod furti iam reus factus eſſet. Ille nunc agreſti facie & habitu, formoſiſſimorum adoleſcentum pulchritudinem uiolat. Fiat ipſe denuo decorus adoleſcens, ut patiatur eadem. Alius adulter fuit, in mulierem conuertatur, ut ipſe quoq; ſubijciatur adultero. Heu furor, heu ueſana dementia. Siquidem pœna fit propagatio ſceleris. Iubet enim o Aegypte Porphyrius doctiſſimus, & ſapiẽtiſſimus Iamblichus, ut inferis iudicibus, quod eſt in nobis, aſſignemus, humanorumq; reatuum cauſemur pœnam, iſtoſq; ut ſequamur, Theophraſtus monet? THEOPH. Minime iam iſtuc uelim Euxithee. Nam neq; Syrian9 neq; Proclus hos ſequuntur, ſed proprium quiddam ac nouum inuenerunt. EVXI. Quid nam illud eſt Theophraſte? THEOPH. Animam illi rapinis ſemper inhiantẽ nequaq̃ in miluum conuertunt. Eſt enim a ratione prorſus alienum, rem rationalem in irrationalem uerti. Neq; in miluinum item hominem emittunt. Eſſet enim perq̃ ineptum & incongruum, ſi ſupplicium, auariciæ fieret occaſio. Cæterũ habere quidem miluum, ſuam ipſius animam expertem rationis, ei uero humanam animam connexam eſſe & coniunctam, atq; una ſubſiſtere, unaq; uolitare, iſtiuſmodi apud illos ſupplicij ſpecies traditur. EVXI. Nouior quidem inuentio. Sed ridiculoſa plane, nec diſſimili uanitate conficta, ſiquidem hac ratione, formicam ſequetur Vlixes. Ambo eñ diſpenſatoris

Syrianus Proclus

Contra Syrianum & Proclum.

ſatoris funguntur munere, ingẽteiſq; labores obire ualent. Veſpæ item Hector colligabitur. Ambo enim galea uaria caput redimiti ſunt, atq; pugnaciſſimi. Rana etiã & Cleon una erunt, ſimul enim coaſſant ambo, Muſca item Hyperbolum trahet. Quippe par fuit utriuſq; impudentia. Porro duplicem formicam duplicemq; ueſpam & muſcam & ranam eſſe, hucuſq; ignorauimus. Neq; enim ſine corpore Vlixes, aut alius quiſpiam ſequitur, ſi quidem ſequit̃. Neq; dices (ut arbitror) corpore omnino liberum, cui adhuc ſupplicio ſit opus. THEOPH. Nihil minus. EVXI. Vtrum igitur Vlixes intra formicam clauſus occulitur, an pendet ex pede, ſicut ex ariete apud Cyclopem fertur, trahiturq; quocunq; formicæ placuerit? Quid tu rides Aegypte? AEGY. Quis non rideat infelices homines, præ tumore iactantiæ in amentiam adeo præcipitatos, ut inhoneſtis fabulis prompte ac libenter accedant? EVXI. Age dum o Theophraſte ſi ſturnos, aut grues gregatim uolando clangentes intuerere, fortaſſis ut mea quidem fert opinio, eorũ qui in ſcæna perſtrepunt, ſiue iniurioſorum ac tumultus excitantium intemperantiumq; animas, auibus his colligatas ſimul ſtrepere ſimulq; clangere, & quocunq; illæ uolitarint, una ſequi diceres. Sin autẽ captæ aues illæ occidantur, eiuſmodi mactationẽ, fugam eſſe animæ. Ex uinculis ſolui eñ eas neceſſe eſt defluente anima, cui connexæ erant. Neq; enim profecto irrationalem quoq; animam, immortalitate donandam dicturi ſunt. Quod ſi piſcibus illæ coniunctæ fuerint, piſcatorũq; ſagena proſpere iactetur, quid aliud q̃ ſolutæ nexibus ſupplicium ſuum ridebunt? Qui autẽ mella componunt, deficientes apes huiuſmodi arte reſtituunt. Incluſum breui cellula bouem, fuſtibus uſq; ad exalationem

animæ

animæ feriunt, quem miserabiliter iacentẽ, aditu diligenter obstructo, ut nulla ex parte uel tenuis aura possit irrumpere ita dimittunt. Numeratis autem diebus quadraginta, reserantes ianuas, computruisse notant bouem, innumeraq; pro uno animalia uolantia offendunt. Apum deniq; repente plena domus efficitur, quæ ex boue processerant. Eas ꝟo sumentes huiusmodi opifices atq; curantes, mellis opus fœliciter aggrediunt̃. Num igitur una illa anima in frusta concisa in illas innumeras diffusa ac dispersa est, quæ boue illo inclusæ tenebantur? Ista mihi ridiculosa uidentur, quæ tu seria existimas. Fortassis autem uenient (quid em̃ prohibet) qui & quarto noua adinueniant. Sed quanta fuerit uerborum pugna, tantus sit necesse est opinionum error. Quo ferimini Athenienses, quo ferimini, qui fabulosa dicenti, tam facile aures accommodatis? Vides nempe ut ista ratio sibiipsi immorata, ac diutius collisa, in morem igniferi lapidis, lucem ex se excusserit, & ea quæ interim in tenebris delitescebant coarguit, neq; iam asseuerare permittit antea uixisse animam? Ista mihi sæpe antea consyderanti ita esse uideri solebant, mentemq; ad se rapiebant. Sed partim magistrorum uerecundia, partim socij & comparis, qui cum ista conquirerem desyderatio, properantem ac iamiam assentientẽ cõtinuit. Illud autem ante omnia subibat, quod si præuixisset anima, meminisset utiq; siue reminisceretur. Quippe addiscentias, ueteres reminiscentias uocant. At qui illa creatoris sui intelligibilisq; pulchritudinis, unde longo tempore deuiarat, reminiscitur. Prioris autem uitæ studiorumq; ac perturbationũ, patriæ item & parentum, unde heri migrarat, penitus oblita est? Et certe alienissimum a ratione atq; natura est ut reminiscamur læta, & tristia obliuiscamur.

Horum enim memoria altius animo imprimitur manetq́ꝫ indelebilis, illorum uero citius labitur. Equidem cum filium aut ſeruũ pro his quæ peccauerint punio, priuſq́ꝫ id faciam, prædico ſæpius & moneo ut reminiſcatur, ne in eadem de/nuo incurrat. Deus uero cum extremos cruciatus conſtitue/rit, non edocet, cur iſta mortales patiantur, ſed ſcelerum me/moriam tollit, dum non exactum infert ſupplicij ſenſum. Quid igitur profuit pœna, qua reatus occulit? Nihil ſane. Immo contra penitus & irritat magis, atqꝫ in arrogantiæ fa ſtum extollit. Facile enim atqꝫ iuſtiſſime ille obiurgabit, & maledictis inceſſet iudicem, ſi nihil ſibi mali operis cõſcius, pœnis ſubdatur. Nempe ipſe Theophraſte qui tot ſpecula tionum reminiſceris tuimet ſolius es immemor, nec potes dicere miles, ne antea an philoſophus fueris, lepus an leo,
Pythago. luſciniam an miluum ſequereris. THEOPH. Fertur Py/thagoras meminiſſe aliquando ſe ad Troiam Euphorbum fuiſſe. EVXI. Iſta ille cum gloriabundus diceret, id potiſ/ſimum perſuadere nitebatur, quod docebat, antea ſcilicet uixiſſe animam. Eadem uero mente atq́ꝫ uanitate cum an/nos decem, in ſubterraneo cuniculo delituiſſet, poſtmodum ueluti ab inferis rediens a Plutone ſe audiſſe memorabat, immortalem eſſe animam, itaqꝫ credi oportere. Huius item
Apolloniꝰ Tyaneus inſignis im poſtor. uanitatis imitator Apollonius ille Capadox poſtea fuit, dum de his qui apud rudes, ſapientes erant, fabellas huiuſ/modi texeret, græciſqꝫ referret, quod illi ſcilicet noſſent qui nam aliquãdo fuiſſent. Bene ſane nauiter ad eos teſtes con/fugit, qui extra orbem ſunt. Sic tamen & ipſe mendax con/
Cteſias Arrianus hiſtoricus uincitur. Nam neqꝫ Cteſias qui de Indis plurima ac fabulo/ſa conſcripſit, uſq́ꝫ has fabulas intexit, neqꝫ Arrianus qui Alexandri hiſtoriã uerius q̃ꝫ fabuloſius ſcribit, ullam huius

dogmatis mentionē facit, cum Brachmanum & Alexandri congreſſionem diligenter exequatur, in qua illum ut immodica habendi cupiditate abſtineret, monent. Et certe ea figmenta tempus uidebatur exigere, uti Alexandrū, qui nihil mortale metueret, uel huiuſmodi pauoribus terrerēt. Tunc enim profecto tunc maxime philoſophiæ argumenta omnia mouenda erant, omneſq; exerendæ uires, cum de ſeruitute patriæ, ac uaſtitate periculum haud obſcure immineret. Sed tamen neq; Alexandro tunc huiuſmodi quippiam locuti ſunt, neq; poſtea cum græcis ſcriberent, illorumq; carperent philoſophiam, & ſuam extollerent, huiuſcæ uanitatis ſpeciem uſq; epiſtolæ inſeruerunt. Itaq; quandoquidē nullus ei, neq; ex prioribus, neq; ex poſterioribus aſtipulatur, ſolus ac deſtitutus Apollonius falſa proſecutus eſſe conuincitur. At uero Hierocles non ille, quo præceptore uſi ſumus, Hierocles ſed qui mirabilia dicturum pollicetur, iſtud quoq; inter cætera incredibile penitus adiecit, adoleſcentem ex Corcyra laſciuum ac nepotem naui, una cum amaſio myrone delatū, ad locum quendam deſertum ac ſolitarium applicuiſſe, ſtatimq; per ſolitudinem oberrando gemitibus, eiulatibus, & planctu, cuncta impleſſe, reminiſci aſſerentem ipſo in loco, quendam e ſuis amatoribus, in priore uita, cum adoleſcentis ſpecie frui nequiuiſſet ſuffocatū, ſeq; idcirco lachrymari, quod illi gratificatus nō eſſet. Perq; ſane ridiculum, ſi lubricus, ac laſciuus adoleſcens reminiſcitur, Socrates & Plato nō reminiſcitur, neq; aliquid ex anteacta uita ſcire gloriatur. Enimuero apud Chaldæos & Aegyptios & Græcos ij quibus carminum perdiſcendorum cura eſt, olimq; uita defunctorum animas ciere profitentur, ſuiſq; carminibus quo uoluerint ducere, atq; protrahere, ſi quidem Homeri animam

euocare uolueris, si Orphei, si Phoronei, si, Cecropis, immolatis gallis gallinatijs characteribusq; subscriptis, eas excitare se atq; ostendere affirmant. Et certe alius ex ijs luscinia, holor alius, alius homo, & alius leo effectus est. Quo nam autem modo uocati uenient, nisi aue & belua & inanimato homine dimisso? Quo pacto autem sciet cycnus aut leo, se aliquando fuisse hominẽ, quando ne homo quidem sciet? Dæmones itaq; magicis artibus sacrisq; sacrilegijs cient, qui Homerũ, Orpheum, Phoroneumq; & Cecropem fingant. At enim pollicentur se qui sunt eiusmodi, parentes quoq; suos singulos carminibus accitos, in conspectum dare. Sed profecto præstigijs fallunt. Neq; enim patrem aut matrem euocant, sed dirum quendam & immitem dæmonem, qui utrumq; simulat ac monstrat. Deniq; simul ac solis iubar illuxit, pompa illa omnis ac uisio, soluitur. Ita anicularum fabella, est quod iactatur, nihilq; in se ueri nihil solidi habet. THEOPH. Recte tu quidem mihi ista prosequi uideris, & haud ignauiter obiecta refellere. Cæterum si animæ priorẽ uitam omnino auferamus, uereor ne ordinẽ quod facimus, desyderare uideat, dum mali secundis successibus gaudent, boni contra, miseri persistunt atq; infelices. EVXI. Placet ne ut respondeam ad hæc? THEOPH. Placet uero, idq; ut facias oro. EVXI. Cedo quam tu miseriam & infelicitatem appellas. Num morbo & paupertate tabescere? Num secari, uri, excarnificari, ac postremo interfici? THEOPH. Ista omnino omnia. EVXI. Atqui ijs qui opibus, honoribus, potentiæ, uoluptatibus dediti atq; addicti sunt, ita forte respondere congruebat, minime autem omnium Theophrasto. Neq; enim es ignarus aut immemor, paupertatem & egritudinem & mortem, neq; turpia neq; mala esse. Socrates

nempe

nempe in paupertate gloriatur,ipſamq; diuitias appellat,& Paupertas nõ malum
philoſophiæ tutiſſimũ præſidium.Sicuti & malam ualetu-
dinem Theagi plurimũ ad philoſophiam contuliſſe, idem Theages
ipſe author eſt,ita ſi recte memini, de illo loquens. At uero
Theagi quoq; noſtro cuncta,ut philoſophia excidat,ſuppe
tunt,ſolus hunc morbus diutinus coercet & continet.Plato Morbus nõ malum
autem (erat enim uegeto corpore & ualido) Academiam in
primis inſalubrem Atticæ locum ubi maneret elegit, corpo
reæ ſalutis maxime negligens,& uires illas, pudicitia & fru-
galitate cõmutans. Mortem uero libertatem ſolutionemq; Mortem non eſſe malam.
malorum honeſtiſſime appellat, docens quod miſeratus
hominẽ deus, mortalia illius & uincula fecerit. Si ergo iſta
ingentium nobis bonorũ cauſa ſunt,quomõ mala? Porro
libido & habendi immodica cupiditas,& formido atq; te-
meritas, malorũ turpiſſima & ſunt & dicunt, quibus boni,
liberi omnino euaſerunt.Semper uero boni,beati ſunt atq;
feliciſſimi,atq; hanc illorũ felicitatem uiolare, aut ab eis au-
ferre,nulla improbitas ualebit.At ſacculum quidẽ corpuſq;
concidere poterit, ullam uero felicitatis partem auferre om-
nino nequibit.Cunq; cætera improborum iniurijs expoſita
ſint, ſola uirtus huiuſce dominationi,nulla ratione patet,ac
liberum arbitrium, rationalis animæ pulcherrima profecto Liberum arbitrium
& maxima dignitas.Hoc ego præcipuum atq; eximium au
thoris noſtri munus,pluris q̃ cætera facio & charius diligo,
gratiuſq; complector, ingenteſq; largitori gratias refero.
Quid enim hac libertate honeſtius excogitari poſſit, quæ
hominem deo ſimillimum, imo deum efficit? THEOPH.
Ergo ne non ſatius fuerat bonos neceſſario fieri, q̃ ſub ho-
neſto libertatis nomine licere uitia eligere? EVXI. Et quis
oro uirtuti locus eſſet, ſi neceſſitate animus potiora ſequere

c 3 tur?

tur? Nulla em̄ optima eſt uiolenta diſciplina,nihilq; quod coactus facias, laudes promeretur. An uero tu putas eum hominem eſſe meliorem, qui brutus ac ſtolidus ſit, & qua uoluerit artifex circumferat, q̄ꝫ qui uocalem aliquem ex ſe/ipſo ſonum præſtet, quem uniuerſali concinentiæ conditor uenuſtiſſime coniungat? Sed mirabor ſane, ſi dum malorū execraris uitia, non etiam bonorum una,præſtantiſſimam dignitatem tollas.Quid enim? Nonne melius ac decentius eſt bonorum gratia, malorum improbitatē tolerare, q̄ꝫ ob intemperantiam malorum, bonorū quoq; modeſtiam exagitare? Age enim ſi quis agriculturæ deputatus & appellatus agricola,omiſſis uineis ad urbem accurreret,meretricēq; repente conſpiciens, forma præſtantem, fulgentem auro, unguētiſq; delibutam,uenuſtate ſumma alludentē, uoceq; ſuauiſſima,cunctos alloquentē, captuſq; illecebra neglectis uitibus cōtinuo illam ſequeretur.Comperto autem ueſano ſocij amore,is qui eſſet laboris particeps operi ualentius incumberet, uiteſq; poſtmodum maiori ſtudio excoleret, ut laſciuientis defectum ſocij ſuppleret,eſſeſq; tu eius uillæ dominus, num frugi ac ſolertē operarium laſciui & ebrij cauſa domus tuæ liminibus arceres? THEOPH. Nihil minus. Summo namq; detrimento meo uinea ſilueſceret, atq; infructuoſa penitus fieret. EVXI. Nonne igitur ideo in primis colonum induſtrium laudares,ac præmijs afficeres, qđ dum liceret,in urbem proficiſci,amantiq; ſocio ad laſciuiam iungi noluit, imo operi ardentius inſtitit, ne uites demum cultu deſtituerentur? THEOPH. Ita ſane eſt ut dicis,& iam quorſum tendas, quidue efficere moliaris aſpicio, tibiq; accedo,ac liberū arbitrium ſingulari dei munere mortalibus indultum, non inuitus fateor. Ex quo fit, ut uirtus

clarius

clarius lucescat, deoq; simillimi efficiamur. Sed quæso te quidnam de huiusmodi mutatione sentiendum est, si non animæ de corporibus in alia rursus corpora, siue hominum, siue animantium migraturæ sunt? EVXI. Falsas ac friuolas huiusmodi opiniones quantũ arbitror, satis supra declaratum est. Quid enim est necessaria mutatio, si denuo mors & corruptio sequat̃? Quod si mutatio futura est, ea profecto constans & perennis erit. Atq; eiusmodi quam nulla iterum mutatio excipiat, quando ea lege uiuet homo, ut nunq̃ moriatur. Nihil em̃ tunc mortale erit, sed noua omnia atq; immortalia, & mundus hic om̃is atq; homo. THEOPH. Vtrũ ergo cũ corpore homo, an sine corpore surget? EVXI. Cum corpore, siquidem homo integer, anima rationalis est coniuncta corpori. THEOPH. Cuiusmodi corpore quæso, eiusdem speciei, an aereo, uel alterius cuiuslibet generis? Quippe anima totidem corporibus talibusq; uestitur, per quot & qualia transitũ habuit. EVXI. Variis corporibus onustam animam incedere asseris, & sicut minutissimæ bestiolæ cum incidunt in aranearũ telas, iis protinus inuolutæ capiunt̃, sic animã humanã quamlibet uario corpore superuestiri, modo illi quoquo pacto propinquauerit, atq; capi. Vt si uerbi gratia, per cœlum transeat, cœleste corpus sibi inde cõsciscat, siue per sydera sydereũ, siue per æthera illi transitus fuerit, æthereo circumamiciat̃, siue in aerem descenderit, aerio circumfluat̃, siue in terrã dilabat̃, terreno crassoq; compingat̃ corpore. Si igitur elemẽtis cæteris tam facile induit̃, quid dicere ꝓhibet illam, si etiã inciderit in ignẽ, igneo circũlustrari corpe, siue ĩmergat̃ mari, aqueũ sibi inde corpus haurire? Visne Aegypte huiuscemodi corporũ periculũ facere? AEGY. Non uacat mihi uel igne torreri, uel obfocari aquis. EVXI. Resurrectio

At enim

At em̃ Theophraſtus corpus omne animæ cõgruere, uelut indumentũ aſſeuerat, quodq; ea ſit triplex, aut quadruplex, nos hactenus latuit. THEOPH. Iocaris Euxithee in ueterũ arcana ſapientum. EVXI. Tu uero Theophraſte, ſerio iſta proſequeris, neq; ridiculum eſſe arbitraris, rem incorporeã corpori cuicunq; connecti, aliudq; alij adiungere atq; conſuere, plurimaq; ſimul corpora ſuperueſtiri. Quæ ſi quidẽ animata ſunt, quod eſt huiuſmodi corporũ proprium, cum plures animantes, unam animam ueluti gregem cognatorum pecorum ais impellere, atq; ſeriem ſuperinuicem aſcendentium animalium cogere. THEOPH. Videntur iſta perabſurda, nihilq; irreprehẽſum indiſcuſſumq; reliquiſti. Sed nõne audis circum ſepulchra uerſari umbras? Hæ profecto ſunt aerea animarum corpora quæ idola appellant. EVXI. Necdum animaduertis, qui cuncta didiciſti, eſſe eas dæmonia peſſima ſimulantia humanas animas. Atqui ij qui olim uita functum euocare pollicentur præſtigijs ſuis, non hominem (quod antea dixi) huiuſmodi carminibus excitant, ſed dæmonium quoddam, humanaq; effigie ſimulacrum illud oſtendit, quiddamq; ut fallat oſtendit & loquitur, ſed ſimul atq; ſol oritur, uiſio illa omnis euaneſcit. Sin uero illa eſſet humana anima, nõ modo noctu, ſed meridie quoq; charos ſuos libentiſſime alloqueret͛, & cum illis una gratiſſime immoraretur. THEOPH. Qnonam ergo modo cruciatuum dolores ſentiet anima, ſi aereum corpus auferamus? Non enim ſine corpore, doloris percipiet ſenſum. EVXI. Recte omnino conijcis, non ſine corpore eſſe cruciandam animã, ſed propriũ illa reſumet, quo palam uſa eſt, cum præſtitutũ iudicij tempus aduenerit. Neq; enim alio q̃ quo uoluptatibus ſeruiuit, puniet͛, neq; aliud miniſtrauit animæ, & aliud

ad iudiciũ

ad iudicium uocabitur. THEOPH. Terrenũ hoc & crassum corpus surrecturum dicis? Miraculi profecto stuporisq; plenissimum est. Nempe enim defluxit ac perijt, dispersumq; atq; disseminatum est, partim laniatum a piscibus, partim ab auibus discerptum. Hæcq; ipsa ab alijs postea capta, periere, ut nulla humani corporis supersit agnitio. EVXI. Formidine ac pauore subrefugis uirorum fortissime, cum uero admonitus fueris, constantior eris. Sed respondeas uelim, humanum corpus simplex est, an compositum? THEOPH. Compositum si licet. EVXI. Ex quibus constat ista compositio? THEOPH. Ex quatuor profecto elementis. EVXI. Cũ id soluitur, quod erat compositum, nonne denuo in eadem redit, ex quibus compositum fuerat? THEOPH. Ita sane. EVXI. Nonne igitur hominis corpus, & piscis, & auis, & beluæ, in elementa iterum redeunt, & unumquodq; in id soluitur, unde cõstabat? THEOPH. Nihil uerius. EVXI. Si igitur elementa seruantur, nostri quoq; materia corporis & causa seruatur, & cum æterni opificis mandarit edictum, undiq; cuncta colliguntur. Si enim initio, parua quædam informisq; materia, hominẽ genuit, nihil est cur admirere, si totum hominis corpus per elementa diffusum ac disseminatum, non in amplius aliquid, sed in mensuram suam restituitur. Nam uidi equidem uitem plurimam ac speciosissimam, brachijs palmitibusq; porrectam, & umbra pampinisq; gratissimã, quæ meas maxime ædes illustrat. Ea neq; agricolæ studio plantata fuerat, neq; ex germine nutrita adoleuerat, sed ex putrefacto uinacio semine, tota emanarat. Vbi nam igitur delitescebat caudex? Vbi foliorũ infinita multitudo, ubi fructus ipse latebat? Qui item sunt agriculturæ studiosi, restem caricis perfricant, quem ubi ficulno

d semine

semine impleuerint, in defossam scrobem deponētes, humo operiunt, breuiq; ad seminum numerum, arbores ordine longo succrescunt. Et certe minutissimū est & indiuiduum
Semen ad puncti instar, semē eiusmodi, id tamē putrefactū prius atq; corruptū, molem illam arboris parturit. Sed & palmæ arbor ad aera uerticem tollit, quæ ab osse durissimo nascen-
Apes di initium sumpsit. Supra quoq; memorauimus, apes cum defecerint, humana arte restitui, quæ huiusmodi est. Mactant fustibus taurum, ij quibus reparandarum apum studium & cura est, atq; intra cellulam mortuum, modice operientes humo, ac diligentissime claudentes, corrumpi ac putrescere sinunt. Atq; mirabili modo corruptio unius ac putrefactio, apum innumerabilium generatio & uita efficit.
Phœnix Præterea & Phœnix auis, ultra quingentos annos uiuere dicitur, ea uero ubi mortua fuerit ac resoluta, denuo reuiuiscere putatur. Succurrit multitudo animantiū, quæ ex corruptione cœpere principium. Sed enim nihil huiusmodi rebus mouetur Theophrastus, solumq; hominis corpus reuiuiscere miratur, idq; ut credat, induci uix potest, qui Athe nienses maiores suos, indigenas esse non ambigit. Atqui huiusmodi cunctationem & incredulitatem, longe antea iugulans, atq; amputans deus, tam multa omnino simillima miracula exhibet, uti ne id postmodū incredibile esse uideatur. Tellurem quoq; iubet plurimas proferre animantes, arboresq; complures & innumera semina, illamq; interim ad reddendū fœnus exercet, ne cum iussa fuerit producere mortuos, imperij nouitate turbetur. Si enim uiuentia corpora & animantia profert, non illi iam nouum uideri poterit, si sola hominum corpora iubebitur reddere. THEOPH. Est ita ut dicis. Verum, si corporis forma duraret, incredibile nequaq;
uideretur

uideret, animam in ipsum denuo ueluti in statuam subire. Cum ergo annis plurimis, corporis compago resoluta sit, quomodo iam illo uti poterit? EVXI. Bene admones. Nam hac ratione, ea quæ sunt penes nos corpora, facile profecto reuiuiscent. Iacent enim quibusdam condita medicamentis atq; ad susceptionem animæ parata. Ridet festiuus Aegyptus. At uero Theophrastus necdum aduertit, nil interesse, utrum dissolutum sit cadauer, an hactenus membrorũ compage solidatũ, æque enim in utroq; compago dissoluta est. Nam profecto anima non excedit a corpore, nisi prius compage dissoluta. Itaq; picto homine, mortuus nullo melior est, quin ipso multo deterior & imbecillior. Ille enim decorus & floridus est, hic uero squalidus, atq; omnino deformis. Aut igitur colores, elaboratiq; lapides, ad susceptionẽ animæ defuncto corpori præferendi, aptioresq; iudicandi sunt, aut fatendum nihil referre ad animæ consortiũ, utrum integrum sit corpus, an dissipatum. Nam ne modo quidem anima dum corpori accedit, perfectum illud, aut integrum reperit, uerum informe semen. Sed enim non id quod cernitur, uerum latens intrinsecus uis, profecto ualidissima, totũ efficit. THEOPH. Quid ergo, unaquæq; anima, proprium recipiet corpus? EVXI. Ex materia & specie, corpus hominis constat, materia itaq; corrumpitur atq; dissoluitur. Cæterum speciei ratio incorrupta & insolubilis perstat. An uero non uides ut triticum, quando id tellure sator abdiderit, ipsum quidẽ putrescit, soluitur, moritur? Porro ipsius opifex ratio, incorrupta, constans, ac solida immortalisq; perdurat. Quæ profecto ualidissima permanens, humumq; per gyrum seminis cogens, ac circumfusum attrahens humorẽ, & calorẽ circũfouẽs, extinctum suscitat triticũ, radicesq; altius

figens,herbam profert, culmumq; erigit,, & ſpicas nutrit & ariſtas, prorſuſq; humo abditũ triticum excitat,& ad meſſem flaueſcere,incrementis perpetuis facit.Ita & farrium ratio,farra ſuo itidem munere ſeruat,reliquorumq; ſeminum ratio conſtans,perpetuaq; perdurat, nihilq; eorũ mirantur homines,uerum credibilia oĩa exiſtimant.Si uero ſeruari hominem perſuadeat ratio, inuidia dæmonum, homines ut credant,induci uix poſſunt.Si igitur in his quæ mortalia ſunt,ſpeciei ratio eſt immortalis, multo ſane magis immortalis animæ, immortalis eſt ratio, neq; ulla temporis uetuſtate ſoluet͛.Verum in ſeipſa inuiolabilis manens, ubi præſtitutum tempus aduenerit(cuncta enim optime prædicta ſunt & ordinata)excitabit materiam, atq; ui ſua in antiquũ componet ſtatum, ut animæ ea ſpecies ſit facilior cognitu, atq; ipſe qui tum nutu ſuo oĩes excitat deus,ſingulas animas ad ſuam emittit ſpeciem,diſſeparatq; atq; diſtribuit ꝓ meritis ſingulas,ut faciunt apud nos paſtores optimi, quibus cum ſint innumeræ pecudes, ſua ſingulis loca diſtribuunt.Et quidem cum imbribus deus irriget terram, innumeræq; ſint,& uariæ arbores,& herbæ,& aqua una, cuiuſq; tamen ratio,eandem aquam,in ſuam ſpeciem & figurã tranſfert,coloremq; & magnitudinem, dulcedinem & amaritudinem,omnemq; prorſus reliquam ſuam qualitatẽ. Cunq; ſemper id fuerit admirationis ſtuporiſq; pleniſſimũ,nunq̃; tamen perturbauit ſapientes,ſin uero ad æterni opificis edictum, memor immortalis anima, ſpeciẽ ſuam recognoſcat atq; reſumat,ad hoc ſolum hærent,fluctuant atq; aduerſantur.Species igitur cuiuſmodi initio prodijt, talis etiam permanſit. At uero materia ſubiecta cum ſit omni qualitati ſuſceptioniq; expoſita,mutationẽ in melius ſuſcipit.Exẽpli

Materia mutationẽ in melius ſuſcipit

cauſa,

causa, fuerit Achilles æreus, qui temporis uetustate solutus, contritusq; sit, huiusmodi neglectum æs, accipiant quidam, & in frusta cōminutū, huc illucq; disseminēt. Sic disiectum intuens peritus aliquis & sapientissimus artifex, ærisq; materiam, ut arti maxime utilem & idoneam laudans, æs illud inquirat diligenter, inuentumq; omne ac selectum conflet atq; emundet, ac per artis industriam & sapientiam, ære illo in aurum conuerso, Achillis speciem superinducat, erit profecto aureus, qui dudum fuerat æreus, idem tamē Achilles. Ita & materia corporum pondere & situ, & mortalitate dimissa, per summam beniuolentiam & artem conditoris, pura, leuis, atq; immortalis efficitur. Par enim profecto erat, ut quæ ad immortalitatem animæ accesserat socia, ipsa quoq; aliquādo immortalitate donaretur. THEOPH. Accipio ista gratissime, nihilq; uere ultra me mouet quod prius oīnino iniecerat scrupulum, animasq; singulas corpora sua recepturas inductus, superiori rationi, ut assentiar, nullo negocio inclinat animus. Sed tamē si iuxta Platonis nostri diuinam uocem, summus iste rerum opifex iustissimus æquissimusq; est, quid nam illud sibi uult quæso, quod paruulos sæpenumero cæcos, aut debiles, aut morbis uarijs obsessos, uel nasci cernim9, uel ab ipso statim primæ ætatis limine, huiuscemodi incōmodis expositos? Atqui nihil profecto peccauit infans, ut ijsce pœnis continuo tradendus uideretur. Vbi est ergo tam insignis illa, tantaq; sapientum laude celebrata iusticia? Igitur e duobus alterū credere necesse est, aut scilicet præuixisse animam, ac iuxta Empedoclis sententiam peccatorum prioris uitæ supplicia luere, aut iustum deum denegare. At superius illud iam supra confutatum est, dei restat tuenda iusticia, cuius ut patrocinium assumas, te etiam atq;

Cur quidā cæci aut claudi nascantur

etiam oratũ uelim. Mouet enim me præter id, tanta iniquitas rerum, cur una cum sit mortaliũ, eadem q; conditio, alius quidem diuitijs affluit, alius in paupertate consenescit, alius infantiæ uix ingressus aditum, moritur, alius ad decrepitam usq; prouehitur, & in hunc modum cæteræ, in quibus diuina æquitas desyderatur. EVXI. Perfacile est quidem ista

Plato dignoscere, neq; illa Plato tuus penitus indiscussa reliquit. Quando tu tamen ita uis, geram tibi morem, breuibusq; quantũ author ipse donauerit, pandam quid inde sentiendum sit, neq; inuitus causæ tam bonæ patrocinium sumam. Deus ipse summus fons & origo iusticiæ, imo ipsa iusticia, nihil potest, nisi iuste decernere, hoc si ueluti fundamentum iaciamus, cætera facile colligere ratione poterimus. Itaq; aggrediamur. Hunc primo diuitijs florere permittit, quod illis uel bene usurum præsciuit, liberaliterq; inopum indigẽtiæ, necessaria cuncta præbiturum, aut certe si uitiosus ille atq; alias auarus sit, neq; inopum misereatur, quoddam tamen iusticiæ indicium dederit, quod tamen ad æterna promerenda præmia satis non sit, hac unica largitate creatoris, merces illius reddatur, breui temporaliq; iusticiæ, fluxa item atq; temporaria, ne quid aduersum diuinam illam summamq; iusticiam mutire audeat, dum pro suis sceleribus, furiarum tedis ardentibus, ac sempiternis ignibus torrendus addicit. Hunc autem idcirco consenescere permittit inopia, quia diuitijs male usurus esset, hocq; ueluti freno continendus est. Alteri (fuisset enim ad assentandum atq; ad fallendum uersutissimus, plurimosq; sibi socios cõsciuisset ad scelus) ictum fractumq; caput est, ubi maxime sedes animæ uisq; consistit omnis, ac deinceps senescente illa ui animi, stolidus brutusq; permãsit. Alius ad cædem semp inhiasset, fœdassetq;

cruore

cruore manus,nisi mancus effectus dextræ, quietem libens agere instituisset. Veniat in medium cæcus ille paruulus,de quo nobis sermo est,rationabiliter omnino institutus. Hic impudicis oculis aspiciet,si his uti permittatur. Idcirco clausis illum oculis nasci permittit, ut per id patientiæ consuleret commodis, cæcusq; ille iustior,quam si lynceos haberet oculos, euaderet. Porro id cur nõ plurimis contingat, ea ratio aperta est. Neq; enim decuit,plurima præter naturæ ordinẽ fieri permittere,ne naturæ ipsius quam ipse condidit,perturbatio fieret atq; peruersio. Quædam uero idcirco permittenda erant, ut ex informitatis collatione,cuiusmodi esset pulchritudo,& unde naturæ accessisset pulchritudinis substantia addisceremus. Fit enim experimento mali, exactior boni,diligentiorq; cognitio, & quod gratissimũ lætissimumq; sit. Necesse est,non uno curationis genere,mala nostra resecet deus. Neq; uno medicamento prouidentia utitur, sed multis ac uarijs, aliud alijs adhibet, pro diuersitate morborum, uariam quippe diuina solertia molita est artem; ideo quod morbi essent uarij. Namq; alius priuatione uisus in sanis amoribus ereptus est. Alius id quoq; aspernatus remedium,ijs qui acutissimis luminibus uigent,impatientius ad libidines fertur, medicamentumq; aliud requirit. Sæpe huic ignes atq; ferrum admoueri necessarium fuit. Illi econtra ad pudicitiam sufficit, rei familiaris inopia, aliudq; alij conuenerat,nec idem omnibus. Sunt item morbis singulis plurima remedia, unde ars imprimis illustratur. Enimuero qui medicinæ rudis atq; imperitus est, si medicamentum uideat quod ignorarit, medicum maledictis incessit. Qui uero sine ratione & disciplina artem aggreditur, quum unum didicit medicamentum, hoc ipsum ægris omnibus adhibet

Alia ratio

ădhibet,& nihil omnino dĳudicans,non naturam,non habitudinem,non locum,non tempus,non ætatem,non morbum ipſum deniq;,quorũ nihil effugiſſet peritiſſimum medicum. Proſus uero paupertas & ægritudo, & cætera quæ exiſtimantur mala,ĳs quidem qui rectiſſime ſentiunt,& integerrime iudicant,nihili reputantur. Neq; em̃ illi opes aut uires corporis,aut pulchritudinem,bona eſſe putant, aut in eis parandis operã impẽdunt, ſed ignauiſſimis relinquunt, quib9 paupertas & ægritudo pro ſumma calamitate habentur,quibus tamẽ illa plurimum conferre probantur. Omne enim uitium, imo totam ſimul uitioſitatẽ uoluptas exuſcitat,non ſecus atq; oleum flammam,dolor autẽ,ueluti mandragora ſopit ac ſedat. Nempe enim non modo in corporũ morbis, uerum in animarum quoq; egritudinibus cõtraria contrarĳs ſæpe curantur. Non ſemper autẽ futura nequitia morbo præcedente comprimitur. Neq; enim ita debuit eſſe prouidentia,ut nos nihil eſſemus. Quod profecto ſequeretur,ſi cuncta deus gereret, fieretq; niſi diuinum nihil,noſq; pro arbitrio noſtro nihil agerem9. Quo circa patres quoq; naſcentium,debilitatis rei plærumq; habendi ſunt. Naſcuntur em̃,ut ait Hippocrates,& uera approbat ratio, ex caluis parentibus calui,& ex languidis languidi. Deniq; & intemperantia & ebrietas patris,concepto plurimũ nocuit,ex qua ſemen deterius fit & imbecillius, ut non facile integram rationis formam poſſit admittere,inſtar improbi argenti,qđ ob imbecillitatem ſuam,manum artificis refugit,ac ſpeciem renuit. Hinc portenta plurima morbiq; gignuntur,neq; tamen ea uniuerſitati uſq;quaq; inutilia. Fiunt enim intemperantiæ certa reprehenſio,excitantq; & euigilare cæteros monent,uti ſobrĳ accedant ad procreationẽ liberorũ. Nempe

Paupertas Morbi. Voluptas Dolor

& Hebræorũ

& Hebræorum legem equidem perlibēter amplector, quæ minus integri atq; aliqua ex parte mutilati hominis patrē, lapidibus obrui præcipit, eo quod per impatiētiam coitus, uxoris purgationē haud quaq͂ expectarit, unde noxij humoris redundantia, morbusq; fœdissim⁹ paruulo accesserit. Lacedæmoniorum itidem legifer præclare consuluit, qui ne mulieres quidem ociosas esse permittit, solent em̄ ex ualentioribus utrisq; parentibus, robustiores filij gigni. Hæc prouidentiæ ratio est, quam nemo unq͂ nisi expers rationis in ius uocare præsumpsit, ut faciunt picturæ imperiti, qui artis uarietatem & elegantiam gratiamq; uituperant. THEOPH. Placent ista, sed quæso nonne iniquum est, alium simul ac in lucem æditus fuerit mori, alium ad ultimū senium uiuendo perduci? EVXI. Deus utilitatis nostræ gratia, & contrahit, & in longissimam producit uitam. Nam si anima citius corpore excedat, principio quidem ornauit materiam, cui speciem induxit, & ipsa priusq͂ detrimenta sentiret, excessit. Lucrata præterea est generationis experimentū, mortalisq; obiectu corporis, immortalitatem melius præstantiusq; cognouit, ac mortali corpori, rationē immortalitatis inseruit, uiuentesq; admonet, naturæ non passim fidere. Neq; enim illa uitæ habet imperium, alioqui ætatis porrigeret spacia, tempusq; constitueret, quod omnibus æqualiter impartiretur, nihil prouidens melius id, an deterius esset. Verum profecto prouidentiæ id, non naturæ opus est. Hæc enim differentias ꝑ utilitate molitur, transfertq; prout placuerit uniuersitatis authori. Quod si quis ad extremam peruehatur senectutem, maiorum quidem certaminum periculum faciet. Verum si difficultatibus omnibus euictis, quæ iubent̄, omnia didicerit atq; operatus fuerit, omnemq; sapientiam, & scientiam,

Cur quidā moriantur statim ut nati fuerint quidam senescant.

Prouidētia

148

& scientiam & artem, in usum uitæ communis inuexerit, nec se tantũmodo, sed orbe toto illustrato, ita demum excedat ex uita, longe maximis atq; incomparabilib9 præmijs, perpetuo beatus erit. Neq; sane par erat idem ætatis spacium, omnibus statui, alioqui petulantiæ ac libidinibus homines ad senectutẽ hauriendis insisterent, pudicitiamq; in decrepita ætate profiteri uelle uiderentur, & qui in feruore ætatis alienis inhiarant, iusticiam præ se ferre in senectute maturarent. Nam si nunc quoq; impudicitiam, atq; auariciam ita prosequuntur, ut frenari uix possint, cum tamẽ ignorent, an ad uesperam uicturi sint, quid facerẽt, si se ad seniles annos peruehendos non ambigerẽt. Non igitur quispiam aggregandis opibus liberorum gratia, æquo amplius incumbat, cum incertum habeat, an priusq̃ hæreditatẽ consequantur, perituri sint. Est illa quoq; penitus diuina lex, ut immatura plæriq; morte rapiantur, atq; ultra terminum uiuat quisq; optimus, tempore ac necessitate ita exigente. Quippe prouidentiæ opus est bene disponere, idq; ipsum quod rite dispo fuerit, optime transferre. Nam si fixe diffinitus terminus fuisset, necessitatis hoc, non prouidentiæ esse uideretur. At nunc statutum terminum transilire sinit, eos quibus mens sana est, admonens non necessitate, sed potestate se in ordinem singula instituere, atq; ad id qđ sit optimũ, ipsa transferre. Porro istud uirtutis, non imbecillitatis, solertiæq;, non ocij indicium est. Non igitur quempiam moueat, si corporũ pœna, casus eiusmodi fiunt. Non enim frustra id, nec sine certa ratione contingit, sed plærumq; cum fuerit minus ualida materia, q̃ ut possit animæ consortiũ ferre, priusq̃ bene & plene appareat deficit. Admonent autem ij qui una cum creatore materiam inferunt, parisq; momenti esse ducunt,

Cur non omnibus certum uiuendi spacium

ut illa

ut illa extremũ ſit,non initium,ut quæ ancilla,non compar, & ut extrinſecus, non ex ſe ipſa uita potiatur. Iam uero ubi etiam ornata fuerit atq; cõpoſita corporis materia, confunditur atq; diſſoluitur. Aut eñ illam belua impetu facto diſcerpit,aut lapſus conterit lapis. Interdum immodica potatione homo ſuffocatur, aut minimum bibens extinguitur. Satietas item atq; fames, necis ſæpe cauſa fuere. Quin hoſtis quoq; irruens obuium iugulat, abſorbet mare, peſtis inuoluit,& fulmen exterminat,ut nõ tam mirum ſit, ſi inter tot conſtitutus caſus, quiſq; capiatur, q̃ ſane mirandum, ſi omnes effugiant. Contraria quidem ſibi inuicem iſta ſunt omnia,ſed plane uniuerſitati congruunt. Quippe conſtantis & perfectæ harmoniæ eſt,ex uarijs & contrarijs uocibus, unum efficere concentum. Siquidem igitur pereuntis filij prius erat pater iniuſtus,ui acerrimi doloris admonitus,moderatior ac iuſtior fit. Sin autem fuerat iuſtus, ex huiuſmodi probatione euaſit illuſtrior. Nihil enim inſigne,nil forte puer ille perpetraſſet. Nam profecto ex inſperato, uotoq; omni præſtantius ſeruatus eſſet, cuiuſmodi plurima ſæpe facta memorantur. Nempe enim Pelias, & Telephus, & Cyrus nuperrime geniti, beſtijs uorandi proiecti fuiſſe referuntur,ſed tamẽ ab eis nutriti ſunt,quibus ut pabulo eſſent expoſiti fuerant. Magna enim & admiranda opera facturi erant. Quemadmodũ & Hercules fertur diſrupta naui, qua ferebatur,ceto abſorptus, & contra omnẽ ſpem fuiſſe ſeruatus. Confluit Heroum immenſa multitudo, qui cũ in maxima pericula inciderãt,diuino nutu ſæpe ſeruati ſunt. At plurimi incidentia pericula nõ effugerũt. Id quoq; ꝓ illorũ atq; intuentium utilitate prouidentia molita eſt,dum ij quidem morbo animi erepti ſunt,ijs autẽ morbus formidabilis atq;

Pelias Telephus Cyrus

Hercules

pauendus uisus est. Quamq̃ & ea sæpe ratione, is qui uirtu te clarus est patitur, ne ex ea possessione uirtutis insolescat, uirtutiq; iniuriã faciat, neq; ij qui ab illo sæpenumero seruati sunt, mortalis conditionis obliti, deum iam non hominẽ existiment, diuinisq; prosequantur honoribus. Quod Græcorum ac Thracum, Aegyptiorumq; & Italorum plurimi perpessi sunt, qui beneficos siue principes suos, non heroas, sed deos putant, adorãtesq; quasi dijs initiantur, & hostias litant. Deniq; Menelaum & medius fidius Helenam, post Alexandrũ, post Deiphobum, inter ancillas Laconicæ dijs connumerant, & cum illis colunt, hostijsq; & muneribus honorant. Sed & Liberum patrẽ, Semeles filium, & Alcmenæ Herculem, usq; ad Herculis columnas, oĩes ut deos uenerantur. Quos tamẽ fuisse mortales, Porphyrius arguit, qui cum dæmones oratione describeret, ait nequissimos dæmones insidiari clarissimis uiris, eosq; repente atq; ex improuiso adoriri, sicuti Liberũ & Herculem Iuno. Habitant Thraciam Gethæ pone Histrum fluuium sedibus fixis. Ii Pythagoræ fugitiuum seruum (Zamolxis hic erat) domini sui philosophiam simulantem solummodo, deum existimant, optimosq; ex suis, ac lectissimos iuuenes necantes, hoc illum obsequio, ut putant, immortalitate donant. Protheus item apud Aegyptios pro deo colitur, & Helena sibi in sacrorũ communione cõiungitur, quam peregrinam Venerem appellant, qui iniciantur. Romani item reges suos oĩes, diuinis honoribus colunt, numero deorũ aggregantes. Alexander quoq; apud Athenienses tertiusdecimus deus esse putabatur, sed uulneribus sæpe confossus morbisq; tentatus, ac postremo uita functus, quod esset mortalis est agnitus, qui interim deorum concilio adiectus erat. Ita fit ut præclari & excellentes

Gethæ

Zamolxis

Protheus

Helena peregrina Venus.

Alexander

excellentes uiri, ſæpe pro ſingulari hominũ utilitate patiantur. THEOPH. Rectiſſime omnino. Neq; iam conuenire dixerim corporibus, in alia corpora migrare animas, neq; eorũ quicq;, quæ hic contingunt, ultra me impellit confiteri antea uixiſſe animam. EVXI. Optime tu quidem coniicis amice. Neq; enim uolet ratione utens anima, poſt innumerabilia exacta pericula, rurſus uitam erumnoſiſſimã uiuere, neq; licet nobis iterato in uitam redire atq; luctari. Cæterũ ſufficit uita præſens ſemel exacta, uires noſtras, ac ſtudia oſtendere. Statim eñ a puero animi uirtus, certaminis magiſtro innoteſcit, bona quoq; ac mala habitudo ante colluctationes agnoſcitur. Ipſa uero quæ poſtea ſequunť ſtudia & electiones atq; actus, non modo iudicẽ, ſed ne ipſos quidem ſpectatores latent. Quo circa, neq; uita ſecunda, neq; altera probatione opus habent, ut ij qui nec præſentia dignoſcunt, neq; futura prænoſcunt. Verum enim ille fortem animam, quæ præſens certamen imprimis illuſtrauit, præclarumq; habitum & artem præ ſe tulit, atq; omnib9 ipſius legibus conſtanter inhæſit, ueluti uictricem immortali corona donauit, & nectare atq; honore cumulauit, ſuperniſq; inſeruit choris. Vnde phas non ſit unq̃ prorſus excidere. Porro ignauam ac deſidem, ſtultamq; & loquacem, ut perturbantem theatrum, legeſq; confundentẽ deteſtans, ſimul atq; cuſtodia corporis exijt, in ſupplicij carcerẽ emiſit, unde penitus effugere nõ poſſit. THEOPH. Vnde igitur obſecro, tam multos accerſit luctatores, cum tot per adeo prolixa temporum ſpacia, præſenti e uita exceſſerint? Neq; enim eoſdem dicis. EVXI. Minime uero. THEOPH. Vnde ergo quæſo te. EVXI. Deus permanens quod eſt, facit quæ fiunt omnia. Nec enim alia faciẽs, ipſe minuitur, neq; cum multa

produxerit,ipse cõsumitur, sed quanto maiorem operatur multitudinem, tanto magis totus in se atq; integer durat. Non enim ex ijs quæ singulatim creat,opificis illi nomẽ accedit, sed semper apud se creator est & conditor. Sicuti nec apud homines faber in ea scinditur quæ operatur, neq; illi quippiam animi,siue totius disciplinæ minuitur,si nunc delubra,nunc ædes,nunc naualia fabricet, sed manet quidem primus integer conditor, manent autem & quæ ab illo sunt condita,ipsiusq; prouidentia indigent.Missam ergo faciens huiusce inquisitionem, quæ nostræ fragilitatis est propria (de nobis enim si ista dicerentur merito inquirere pergeres, unde ac potius mulieribus accedens)creatoriq; omniũ nihil omnino esse impossibile, certissima fide ac pietate credens, ne quære in huius uitæ theatrum descendentes perpetuo luctatores unde inducantur.Ipse enim eos,qui certamen statuit,aduocat,illiusq; edictum opus naturæ continuo erumpit.Sic uolens spiritales uirtutes instituit,nullaq; ex ijs unq̃ istud præsumpsit inquirere. Sic cœlum creauit & terram,illudq; syderibus,hanc frondibus ornauit,ac floribus. Vides nempe & arbores modo pomis onustas incuruari,eaq; parturire,quæ in sequentem proferantur annum, ubi uero tempestiuum fuerit edicto iterum parent, & primo quidem in flores,tum demum in fructus erumpũt,pomaq; mitia proferunt,secretissima illa naturæ ui,per quã primo genuerant, intus permanente,ac penitus insita.Rursumq; ac sæpius pomorum copia exuberante,non modo nihil leditur,aut consumitur radix, uerum firmior ac ualidior fit. Quid igitur ultra miramur,si summus ille rerum opifex,& quæ fuerunt, & quæ futura sunt omnia, in seipso complectitur, singula uero qualia uult, & quando conuenit, & ut se pulcherrime habet,

habet, ſapientia & arte producit. THEOPH. Sed cur ob- ſecro, alias quidem rationales uirtutes præſtituit deus atq; diffiniuit, humanas uero animas rationales & ipſas hacte- nus proferre non deſinit? EVXI. Optimus legifer hominũ, morbos minime expectat, id quippe uani iudicis eſt, ſed in principio quidem fore prædicit. Nam & herbas & medica- menta plurima, atq; remedia ante morbos, terræ ut præpa- ret atq; ex ſe proferat, iubet. Nunc itaq; præſcius deus, ho- mines rationabilium uirtutum admiratione commotos, eaſq; carere principio, & ingenitas eſſe arbitrantes, princi- piaq; plurima, atq; innumeros deos ſtatuentes, confuſam ac popularem, ut ita dicam deorum multitudinem pro uno deo, ſumma improbitate inuecturos, quippe qui & mun- dum iſtum uiſibilem laudantes, & in illo commorantes; deum ingenitum, ac ſine principio dixere, eiq; tam ſtolidæ opinioni, etiam qui opinatiſſimi in philoſophia fuerunt, acceſſere, atq; ad irrationabilem omnino phantaſiam pro- ruperunt, ut huiuſmodi præueniens, arceret animas noſtras utiq; rationales, nunc quoq; producit certum ſuæ poteſtatis indiciũ præferẽs, per qđ profecto admonerent homies, eas quoq; quæ prius inſtitutæ ſunt, angelicas uirtutes minime carere principio. Cæterũ ex uno creatore, unoq; principio, omnem ſimul rationalem uirtutem, ſpiritalemq; manaſſe ſubſtantiam. Quod autem illæ quoq; proceſſerint, facile creditis, ſi uoſipſos nuperrime in lucem editos inſpiciatis, qui non diſſimiliter illis primo inſtitutis uirtutibus, ſupra hominem pergitis, atq; ad primum uſq; principium, mente & cogitatione conſcenditis. Huiuſmodi quippiam in cœle- ſtibus quoq; corporibus molitus eſt. Solam deniq; ex nu- mero ſyderum, lunam occidere, ac luce deſtitui, rurſumq; incipere,

Cur deus animas quotidie creet.

Luna

incipere, ac ueluti iuuenescere, plenoq; lumine lucere constituit. Idq; ne ullum cœlestium corporum ingenitum existimantes, stulto atq; impio errore raperemur. Verum ex hoc extremo omnium sydere, dum illi lucem accedere ac decedere, moriq; ac denuo nasci animaduertimus, superiora quoq; illa facta & condita, non ambigamus. Pari ratione cum nuperrime humanus animus ex ultima substantia rationali producatur, superiores quoq; rationales uirtutes, principium a creatore accepisse colligamus. Nihil enim ille ociosum, nihil superfluum, nihil frustra operatur. Porro si unus homo cum sit, animam quidem præextitisse, corpus uero longe post, effectũ esse dixerimus, ociosa priusq; ad corpus descenderet, anima fuit, tantoq; tempore superflua, neq; uires suas actione monstrauit, neq; item quid haberet, aut quid nam posset, agnouit. Hæc enim omnia ubi descenderit, lucratur. Ociosior itaq; magis q̃ præstantior fuit q̃ uos, quia prius corpus experta non est, sed primam hic generationẽ uiuit, incorruptam ac recens æditam uocatis, qualis & Liberi patris & Herculis, Thebis fuisse memoratur. Quod si antea quippiam operabatur, postmodum ubi descendit, uacuam atq; desertã & ociosam sedem suam dereliquit. Nam uirtutes cæteræ rationales simul atq; prodiere, singulæ ubi oportuit, locatæ sunt, munusq; suum atq; ministerium & locum & custodiam seruare iussæ. Est igitur perq̃ ineptum & indignum, humanam animam diu ociosam, sero tandem uinctam ad corpus relegare, cui præceptũ sit, terram ipsam ordinatissima ratione componere & illustrare, deiq; mysteria & cultum, orbi prædicare, ne ullus sine deo locus relinquatur. Nonne ergo melius ac dignius est, illam simul ac prodijt, iniunctum sibi munus exequi, q̃

ociosam

ociosam diu imperfectamq; persistere, & quod initio non statim operata sit, proprias quoq; uires omnino ignorare? Nam uirtutis indicium ac notio, profecto actio est. THEO. Nihil dici uerius potest. Verum id me monet, q cum omia quæ condita sunt, initium conditionis suæ acceperunt, mortalia omnino esse, labiq; ac defluere, certum sit atq; definitum, humanas animas immortales esse dicimus, quæ quotidie profecto nouæ singulis corporibus addicuntur. Nam cœlestes illas uirtutes & si initium aliquãdo accepere, quod simul conditæ sint, multisq; iam sæculis beatitate potiantur, facile ut immortales conditas putem, ipsa æui diuturnitate admoneor. At uero animas dum singulis, singulas creari dicimus, una cum corpore occidere, rationi fere propius uidet q immortales fore. EVXI. Non alius superiores illas uirtutes, alius humanas animas condidit, sed idem illas initio instituit, & has quotidie creat. Sin uero idem est, ut est profecto, nihil nouum, aut admiratione dignum uideri debet, si uirtus una, unaq; scientia, & tunc & modo idem operatur. Neq; em consenescit tempore, conditoris uirtus, neq; scientia ipsius intra præscriptũ aliquod tempus angustatur. Aut igitur ne illas quidem immortales esse concedemus, aut has quoq; itidem esse immortales, necessario fatebimur. Ascendit quippe humanus animus, ut antea quoq; meminimus ad primum principium sicuti & illæ. Nullam uero rationalem substantiam, ille mortalem condidit. Qui igitur, nostram animam creans, legis suæ scita transgressus est? Quã sibi non quidem consubstantialem, sed similem, ac ueluti imaginẽ fecit, ut si quidem philosophari uoluerit, deo similis efficiatur. Quod autẽ immortali simile est, ipsum quoq; immortale esse, quis nesciat? Nam quod mortale est, id im-

An immortalis ania.

mortali non ſimile,ſed contrarium eſt.At uero tu qui Plato nem ebibiſti,omne quod conditum eſt; aſſeris penitus eſſe mortale,& interire atq; defluere,admonebo auté te Timæi nobilis illius libri,ubi creatoris opificium,paucis exprimitur ĳs fere uerbis.Dei deorum quorum ego ſum pater & condi tor,immortales quidem uſq;quaq; nó eſtis,quia facti eſtis, non tamẽ in mortem ſoluemini, mea ſic agente uoluntate, quæ morte potior eſt,uides ut uno uerſiculo,utrumq; ſimul includat, & fuiſſe conditos, & non eſſe ſoluendos, & factos eſſe, & morte potiores euaſiſſe. Huiuſmodi initio prodiĳt hominis anima,ſubſtantia rationalis,ſemper mobilis,& arbitrĳ libertate honorata, uitam ex ſeipſa habens & corpori impertiens. Quæ profecto mortalia nulla acceperunt, ſed hæc omnia ſunt certiſſima immortalitatis indicia.Mirabilis ſane ac ſtupenda uis interior animæ uidebitur, ſi exteriorũ & eorũ quæ ſubiecta ſunt oculis,ſpeciem uarietatemq; conſyderes.Omnis nanq; ars,omniſq; diſciplina & ſpeculatio, immortalitatem animæ commendat.Nam qui eſſe dedit,ut ſemper etiam eſſet noſtræ animæ,ſuum munus effecit, idq; munus in naturam uerſum eſt. Porro Platoni placet mun- Plato
dum quoq; hunc omnem & factum fuiſſe,& eſſe mortalem & immortalem ſeruari. Neq; enim quod uſtioné admittit, id etiam continuo uritur.At uero qui hanc Platonis ſenten tiam ſuſcipiunt, & admirantur quod corpora & facta dixerit,nec peritura, ipſi hoc animabus ut permittere uelint, induci nó poſſunt,quod corporibus facile omnino libenterq; concedunt.THEOPH.Nephas profecto eſt adeo euidentibus clariſq; rationibus non aſſentiri.Vnum nos fugerat imprimis inquirendum, quid ſcilicet ſit q̃obrem intellectuales ſubſtantias diffinitas eſſe,humanas uero animas in infi-

nitum

nitum propagari dicimus, nisi eandem animam in plurima corpora transire concedamus. EVXI. Animarum humanarum multitudo nobis quidem infinita, cæterum authori finita absq; ulla dubitatione est, sicuti & aliæ substantiæ rationales, quas tibi innumerabiles, deus numeratas habet. Quæq; item ille comprehendit, nobis quidem infinita, illi uero comprehensa atq; diffinita sunt, isq; illis modus efficitur, quem iubet is qui eas comprehendit. Nempe in spiritalibus quoq; substantijs, multitudo non gignit angustias. Vnum em̄ sunt omnia, & singula totum implent, & omnia totum suscipiunt, nec alijs alia impedimento sunt, sicut in corporibus fit. Nam & in arboribus eorum quæ diximus, quædam simulacra cernimus. Ex una enim arbore, surculi ceduntur innumeri, quisq; uero sic cesus, totam in se cōtinet uitam, ut terræ traditus germinet, totāq; (ut diximus) uitam nō secus atq; ingens illa arboris moles, surculus ille comprehendit. Cumq; ex uno innumeri prodeant, unum sunt omnes, nullusq; sic prodiens, ille esse dicit̃ unde processit. In infinitum porrigi nobis ista uidentur, sed cuncta plane finita sunt. Præterea quicquid ex dissimilibus cōpositū est, tēpore etiā qn̄q; dissoluit̃. Huiusmodi est uisibilis mūdus. Et cuius intereunt partes, ex quib9 totū cōstabat, totū quoq; una cū partib9, ex quib9 cōpositū fuerat, intereat necesse est, quoad īmortalitatē perfecte suscipiat. Tempusq; omne deo quidē breue, mortalib9 ꝟo longissimū est. Si igit̃ mortalia corpora ad certū numerū finita sunt, non in infinitū producimus animas, sed sistetur animarum modus, cum subsident corpora, quibus ille infundantur. Animabus ergo modus usus est. Porro modus ipse corporibus suscipientibus terminatur. Quod si Apollo arenæ numerum apud omnes scire

Animarū multitudo deo cognita

Apollo

 putatur,

putatur, ipſe animarũ conditor ignorabit numerum quem ipſe producit? Atqui intellectualium uirtutum, plenum eſt cœlum omne, plenus æther angelorumq; ac dæmonum, plenum mare, plena quæ ſub terra ſunt omnia. Et ut quidam ex noſtris ſapientibus ait, inane nihil, ne tantum quidem, quantum, uel acus pungere, uel capillum capere iniectum poſſit. Itaq; ſi ad decem annorum milia, mortalem hanc uitam hominibus propagare uolueris, ne ſic quidem arbitror humanas animas angelorum ac dæmonum, infinitæ multitudini poſſe exæquari. Porro uitæ ætatiſq;, quæ nunc ducitur, ratione animarũ perfecta defectio ſæculo fiet. Nam ſi ipſum eiuſmodi permanet, ac boni quidem in elyſium euecti, immortalibus conuiuijs lætantur, ſempiternoq; implentur nectare (eſt quippe & iſtud Platonis decretum in libris de re.pub.) mali uero in tartarum lapſi, unde nunq̃ excident, ipſi quidẽ nil ultra proficiunt, ſed exemplar ultionis & cruciatus, expoſitaæ ternũ mœrent (hæc enim in Phædone & Gorgia Socrates aſſerit) tot ſublatis ex numero, ſenſim hoc ſæculum deſertum hominibus, ac deſtitutum linquent. Neq; ultra dicturus es hanc denuo uitam uicturam eſſe animã, iſta enim iam confutata ſunt, & ſi gloriari iuueniliter liceat adamantinis nexibus uincta atq; conſtricta. Quod ſi ſemel intra mille annos in Phædro (ait Socrates) animam corpori cõmunicare, atq; intra decem millium annorum ambitum, animarũ ſumma & modus quantum ſat fuerit, implendus aſſeritur, nos paucioribus animabus indigemus. Neq; enim in tantam æui prolixitatẽ, mortalia corpora prouehenda putamus, ſicq; mea potiuſq̃ tua præualet ratio, animas ſcilicet præfinito numero eſſe taxatas.

THEOPH. De anima quidem nihil prorſus ambiguum relinquis.

relinquis Euxithee. Cæterum putas ne mundum, tempore aliquando soluendum? EVXI. Non puto equidem, sed certissime scio. THEOPH. Quid uero. Nonne infectus est mundus, caretq; principio? Aut quomodo creator est conditor, si tempus unquam fuit, quando eorum quæ sui muneris sunt, nihil agebat? EVXI. Audi sane quam afferunt, qui uerissime sapiunt præclaram & plenam pietatis ratione. Deus omnium rex, ex quo sunt omnia, initium rerum & fons, ipsumq; bonum, sapientiæ pater, & omnium conditor, non tempore genuit per quod fierent omnia, quippe semper est uerbi ac sapiẽtiæ pater, neq; enim sterilis & infœcundus est diuinitatis fons. Non autem passione genuit, nulla enim conditione necessitatis adigitur, neq; consortem generationis assumpsit, nullus enim erat, sed neq; seipsum, suæ uirtute potestatis exhausit. Semper enim in seipso quem genuit, habet, totum in toto, implentem & impletum. Solus enim pater esse noluit solus. Neq; uero superfluit proles, alioqui in seipso cõsubstantialem sibi nequaquam habuisset. Non em̃ in eo est compositio, quo circa uerbum essentialiter genuit, ut substantiam uirtutemq; patris enunciet, ipsa mens in unum, uniuersa intelligentiæ ratione compingens. Omnia itaq; per ipsum pater operatur. Sapientia enim hoc omne oportebat institui. Atq; una cum prole eiusdem substantiæ protulit spiritumsanctum, eoq; spiritu intelligibilia & sensibilia & inspirans, omnia uirtute implet & continet, atq; ad seipsum trahit. Conuertit enim semper ad patrem spiritus, & omnia attrahit quæcunq; tetigerit. Ita intemporalis illa magna patris uirtus, & speculatio & operatio, sancta unitas, & beatissima trinitas, non magis minusue suscipiens, (est em̃ una substantia) & intellectuales quoq; substantias Mundus soluetur.

ante tempora condidit atq; constituit. Habere enim uoluit quibus faceret bene, idcirco spiritales creauit, supernasq; uirtutes, nullusq; inuidiæ locus est. Ita ante uisibilium conditionem, non in ocio perstitit. Cœlum uero unde tēpus initium sumit, ac terram aeremq;, ac mare, post priora illa creauit, aliasq; aliud ui propriæ potestatis operatur, semper autem ipse operat̃, materiamq; præstat uniuerso. Excitat præterea coaptat, ordinat, atq; disponit. Non em̃ imperfecta ac sine principio materia est. Hoc te & Chaldæi docent atq; Porphyrius in eo libro quem inscribit καθόλου, ubi Chaldæorũ rationes in medium profert, in quibus asserere materiam, carere principio, ut impium dogma cõfutat. Si igitur facta materia est, neq; ea principium, sed extrema est, quo pacto uisibilis mundus, aut infectus, aut sine principio, aut ante tempora fuisse asseritur? Neq; enim est ante materiã, quod ex materia sumpsit initium. Ipse nempe in Timæo Plato meministi, q̃ nihil fingens, nihilq; dissimulans, hanc sententiam ferat, primum interrogans, factus sit mundus iste, necne, & cum factus responderetur, causa etiam protinus additur. Visibilis enim est atq; tangibilis, cœli nempe gratissima portio stellæ sunt, sed ipsæ tamen factæ probantur. Namq; ipsa illarum perpetua migratio, cursus, conuersiones, ascensus ad aquilonem, ad austrum descensus, solisq; ac lunæ defectus, cuncta sensibus subiacent, quæ fieri quidem Platoni uidentur, nunq̃ tamen solide ac firmiter esse. Porro qui Platonem exponũt, quod ille factum dixit, non sic tradunt, sed scd'm causam factum. Puta umbræ meæ, corpus meum causa est. At hoc non illam fecit, sed ipsum illa secuta est. Non itaq; creator est conditor, nisi uolens, quod facit operatur, sed fortuitum hoc erit omne, ac nisi factum fuerit corpus,

Chaldæi

Plato in Timæo

Contra Platonicos quosdam

quod

quod solis æquet magnitudinem, non permittet hæc ratio plena caliginis retro fieri lucem, ea quippe solis umbra est. Quandoquidem quale corpus est, talis & ipsa describitur. At uero conditor incorporeus, infinitus, ipsaq; lux est. Qui igitur aut unde illi umbra contingit? Quo nam item modo præstantior & ueracissime creator erit, utrum si ipse faciat & singula ut uoluerit, cõponat atq; coaptet, an si umbra illum ex necessitate sequatur. Quis uero umbram suam componere & emundare uelit? Nonne prouidentiam quoq; ista dementium ratio sustulit? Nam nulla profecto habebitur umbræ cura atq; diligentia. Ad hæc, una cum corpore insinuatur umbra, sed possibile non est, una cum creatore materiam accipi. Idq; Plotinus ratiocinando assecutus, materiam aperte omnino prædicit, Anaxagoramq; in ius trahit, ac uexat, quod conditorem una, ac materiam inuexerit. Id autem esse impossibile, quippe antiquior sit, necesse est conditor, eo quod condidit. Enimuero Atticus ille priscus Platonis imprimis studiosus obseruator, dum quæ amantissimo suo uidentur, exponeret, ita ferme ait naturam mundi ordinemq; discutiens, ipsum neq; infectum esse, neq; sempiternum, cæterum ab excellentiore ac uirtute præstante, perfectioreq; deo antiquissimo factum fuisse. Nam cum uisui tactuiq; subiectus, atq; omnino corporeus sit, infectum esse possibile non est. Quorum enim substantia ut sit, alterius auxilio indiget, ea quo pacto inficiabimur facta fuisse, atq; a cõditore seruari. Aristotelẽ autẽ etiã ridiculum appellat, qui cum hoc om̃e uisu tactuq; explorari fateat̃ & esse corporeũ, infectum tamẽ atq; incorruptibile esse cõtendit. An ꝑo non irridendus ille, si ne Aegyptiorum quidem uatibus assentiri uult, qui mundi initium & generationem exponẽtes,

Plotinus

Atticus

Aristoteles

exponẽtes,cancro mundi oram præfecere.Apollo item con
ſultus,dæmones quoq; factos eſſe reſpondit,atq; ante ho-
mines ipſiuſq; mundi fabricam conditos,creatoriq; ad ho/
minis uſus miniſtrare . Eſt autem oraculum huiuſmodi,
ἐκτίσθη πρὸ ἡμῶν θειάστε κόσμου γονῆς, ἄφθαρτα πνεύματα εἰς ἡμε/
τέρας χρειάς.Sunt ante nos conditi,atq; ante diuinam mun-
di generationẽ,immortales ſpiritus in uſus noſtros . Perq̃
igitur peruerſi ac uiolenti ſunt huiuſmodi Platonis inter-
pretes , qui intelligibilia ſimul ac ſenſibilia cuncta miſcẽtes,
Apollini ac Platoni contraria nituntur aſſerere. Non enim
ſimul ſunt omnia.Non æſtiuum tempus adeſt,pomiſq; ar/
bores lætæ,gratam ſui intuentibus ſpeciem præbent.Non-
dum uero cano gelu hyems inhorruit,num ergo ideo æſta-
tis,nõ etiam hyemis eſt conditor? Num ille non pluit,tellu/
remq; ferendis frugibus parat,quia nõ ſimul æſtas hyemſq;
confunditur? Atqui iſta non imbecillitatis aut temeritatis,
ſed ordinis atq; uirtutis indiciũ ſunt . Pythagoræ profecto
decretum ſilentium eſt,attamẽ loqui norat , & ſi tunc tacere
decreuerat.Sculptura item Phidiæ ars erat,cumq; ſummus
eſſet artifex,non tamen unam ſtatuam , quæ in arce,& quæ
in olympia erecta eſt,fecit.THEOPH. Aſſentior,ſed num
prius hoc omne male connexum erat, ut neceſſario ſoluen-
dum ſit? EVXI. Minime uero.Quid em̃ ab eo qui ſumme
bonus,imo ipſa bonitas eſt,niſi optime fieri potuit?indicio
eſt tanta conſtantia rerum , q̃ id præclare initio conditum
ſit.THEOPH.Qui ergo ſoluetur? EVXI. Quia omne con-
nexum ſimplex non eſt . Alterum enim alteri coniungitur.
Quod autẽ ex pluribus & diſſimilibus atq; contrarijs com
poſitum fuerit , uim ſe facile ſoluendi habet . Porro quod
huiuſmodi ui prædictum eſt , operabitur aliquando quod

ea uis

ea uis admonet. THEOPH. Quid quod bene & rite connexum compactumq; est soluere, num tibi uidetur sapientia? EVXI. Si partes huius tanti operis mortales dereliquit, & totum simul soluere rationabiliter prædestinauit, ex illis enim hoc constat. Nam si oculus & digitus & partes singulæ pati possunt, non est impatibile corpus, uerum idem patietur totum quod partes. Deinde si quidem ea partiũ solutio perniciem inueheret uniuerso, stultum profecto id esset, sin uero solutio ista perniciem soluet, ingentis omnino sapientiæ immortalisq; uirtutis est, mortalia immortalia facere. THEOPH. Cur ergo initio non huiusmodi fecit, utrum non ualuit an noluit? EVXI. Dei uoluntatem nunq̃ potentia deficit, uolens enim intelligibilia omnia immortalia fecit, cæterum uisibilia facere noluit. THEOPH. Putas ne inuidiæ causa? EVXI. Benignissimo creatori nulla est, aut esse potest inuidia. Sed si omnia essent similia, nihil essent. Vnum em̃ essent. At nunc intellectuales rationalesq; substantias, intelligibiliumq; mundum omnem immortalem principio protulit, & inuidia nulla est. Secundo item mortalia etiam addidit præclara illa quidem & magna, sed tamen deteriora prioribus. Non igitur secunda adijcere inuidentis est, sed aliquid potius omittere ex ijs quæ facere poterat pulchrum atq; optimum. Immortaliaq; ac mortalia condere uirtutis, non imbecillitatis fuit. Perfecti namq; uerbi & creatoris est, non modo uaria, uerum & sibi inuicem contraria condere, puta album ac nigrum, calidum ac frigidum, immortalia atq; mortalia, quæ tamen & ipsa ob uirtutis excellentiam, immortalia faciet. Quo circa & mortalibus rebus, semina quædam immortalitatis inseruit, quæ item quandoq; pullulabunt atq; superabunt, & quod erit deterius, obterent &

g ad se

ad se cōuertent ac transferent, sempiternæq; uirentes ferent fructus. Indicium huius rei haud exiguum est, quod cœli ac terræ liquidissima ac purissima pars, immortalis nunc usq; seruatur, quam Olympum & beatorum insulas, & Elysium campum sæpenumero ueteribus appellare mos est, ut ex eo id colligatur, cœlum totum ac terram aliquando huiusmodi fore. Nihil enim a creatore factum est usq;quaq; mortale. Non itaq; mortale durabit. Fecit autem ut sensibile ac materiale quod dicitur, spacio quodam temporis & generationem corruptionēq; susciperet, bonum aliquod maius inde molitus. Partim quidem speciebus uarietateq; formatum, dans pulchritudini locum, ut corruptione ac generatione sæpius informaretur, ac mutatione perpetua, pulcherrimæ formæ figuram in materia exerceret, utq; formarum rationes exercitatione firmarentur, motuq; iudicarentur, & exteriorum mira uarietate, admirationi magis essent intimæ ipsorum & insitæ penitus intelligentiæ, ueluti si quis pictor pulchrum nactus exemplar, complures ipsius pingat imagines, ut nulla pars decoris latere queat, sed sese undiq; aperiat, uenustatemq; artis ostendat. Partim uero rationabilibus quoq; substantijs indicans illis se nō necessitate aliqua impulsum, sed gratuito potius immortalitatē largiri, easq; primo loco statuere, utq; oporteat prima secundis curam solerter adhibere, & ne ipsis quidem licēter quasi sui sint iuris imperare, cæterum parere facile semperq; pendere ex iubentis imperio, & ipsum semper aspicere, & qd' iubent' exequi, subijciq; ac regi, q̄ dominari male. Est enim libertas profecto summa, & uera potestas, ingensq; felicitas conditori optimo seruire cupere. Igitur opereprecium est, ut qui rationalem substantiam adepti sunt, sese sponte subijciant, & ho

Olympus Beatorum insulæ Elysius campus

nestissime rectoris agantur imperio, si quidem libero arbitrio rite uti uelint, quod uel maximum immortalitatis indicium a conditore acceperunt. Cæterum si quidem principi ministrare grauantur, & quisq; q; primus factus non sit indigne ac moleste ferat, appetatq; tyrannidem & incipiat ius fasq; confundere ordine auulsi, incidant in confusam temeritatem, atq; a regis sui candidissima luce digressi, non quidem mortales erunt, quippe immortales ab ipso initio conditi, uerum damnari se tenebris mortalium sentiēt, huc illucq; uagantes, ac subditi potiusq; dominantes. Ista conditor præuidens præcauit, quo pacto facinus istud consenesceret, neq; recedentium causa subditis liberi arbitrij indultum gratis munus ademit, sed recedentium infirmitatē terrenis rebus mortalibusq; coarguit. Deserti autē ac desolati perdere non seruare nouerunt. Istos quoq; miseratus non sinit in mortali morbo tabescere, id mortale molitus, quo maxime frui, cuiusq; compotes appetunt fieri, ut eo soluto, una uiolenta quoq; dominatio illa diffluat, & post tyrannorum profligationē, immortalem rursus eam faciat partem, quam illorum gratia mortalem primo dimiserat. Idq; conduxit ad illecebrā & argumētum solutionemq; tyrannidis, atq; ad euidens indicium potentiæ conditoris, atq; iusticiæ mansuetudinis, clæmentiæ atq; uictoriæ. Corruptionem huiusmodi nō ignorauit Plato, & si futurā nesciuit immortalitatē. Non em̄ terræ solius, sed cœli quoq; corruptionē in Timæo introduxit dicens, cœlum ꝓpria ex corruptione nutriri. Si igitur nutrimentū est ipsa quoq; corruptio, ubinam erit immortalitas, nisi creator cœli ac terræ corruptione translata, totum immortalitate uestierit, quam nulla iam mors, nulla maliciæ incursio, nihil omnino mortale sequat̃? Plato

Stoici Porro Stoicis uisum est cœlum ac terram sæpe corrumpi, sed hoc sane omittamus. Namq; nimis plærumq; delyrant.

Corpora nostra donabunt immortalitate

Certum est autem corpora ipsa nostra ad authoris nutum immortalitate donanda. Nam si corpora soluunt in nihili, quid nam illud est, quod tantum in eis uirtutis insedit, ut plus possint condita tumulis, q̃ cum uiuentia ubiq; terrarũ peragrarent? Audis nempe Oedipum, ut in colonæo condi tus, Atheniensibus in Cyro situs putabatur. Fertur autem Atheniensibus cum peste ac morbo uexarentur, Apollinẽ respondisse Theseum Aegei filium, Athenas transferrent, Cyri autem obrutus fuerat, illic enim fraude peremptus est, admonentẽ, nullam fore morbi absolutionẽ aut requiem, nisi prius uita functus Theseus, Atheniensibus conciliaret, apudq; illos conderetur, cum illi maturato id exequerentur simul atq; Atticam Thesei cadauer solutum ac putridum attigit, uis omnis illa pestis elanguit. An uero nondum didi cisti, ut Horestes in tumulo apud Arcadas delitescebat, pro lixo autem post Horestis mortem, temporis emenso curri culo, Lacedæmonij cæteris bellis superiores semper euade re soliti, uicti ab Arcadibus fusiq; fuerunt. Cum uero quid nam sibi faciundum esset ignorarẽt, Apollinem quid facto opus sit, consulunt. Eis ille respondit, non armare milites, nõ equites cogere, sed unum mortuum hominem sibi in auxi lium consciscere maturarent. Admonuitq; obscure quidem, sed tamẽ admonuit, Agamemnonis filius, quo nam in loco iaceret. Hunc si furto sustulissent, uictoriã ad eos deinceps migraturam. Inuentum itaq; furantur Horestem, iamq; ui ctoria potiebant. Si igitur Oedipus matris nephario con cubitu, perpetuo dedecore affectus, & Horestes materno cruore fœdatus, & Theseus pudici pueri uiolator impurus,

Oedipus

Theseus

Horestes

Lacedæmonij

humo

humo abditi, terram seruare dicunt, quanto id excellentius posse credendi sunt, qui uitam totam deuouere uirtutibus, mortemq; uita ipsa illustriorem & honestiorẽ pro iusticia, pro pietate, sponte constanterq; susceperũt? Vidi equidem complura uirorum illustrium corpora usq; adeo dæmonũ turmas deterrere, ut credi uix possit, innumeraq; morborũ genera, in quibus medicorum ars, diu nequicq; fuerat contrita, tota facilitate fouere, curare, emundare, ac prorsus excidere. Si uero futuræ immortalitatis omnino essent expertia corpora infirma, & superflua essent, & pro nihilo abiecta. Præterea si malos necesse est cum corpore quodlibet illis circumdare malueritis, ad supplicij carcerem pertrahi, per quã sane iustum est, animæ bonis perfrui corpus, cuius inter casus uarios, uexationesq; innumeras, nunq; deseruit societatem, sed ad certamina omnia prompte una ac libenter accurrit. Sapientissime proinde prouisum est animam e corpore migrare, ut ex eo discat quanta sit animæ uirtus, quantaq; imbecillitas corporis. Est autem diuina omnino lex, denuo illud reuiuiscere. Neq; eñ profecto par erat, corpus animæ semel immortalitate gustata, semper inane atq; abiectum iacere. Sed ne in hanc quidẽ uitam reuiuiscere. Sufficit enim prima illa natiuitas præsentis certaminis documentum dare. Ad hæc ociosa mors esset, si ad eandem rursum uitam redeundum esset. At enim ista fabulas esse supra satis declaratum est, neq; oblitum te arbitror, cum sis memoriosissimus. Cæterum ut uerissima probauit ratio, in immortalem resurget uitam, bonis quidem omnibus diutissime cupitam, & omni ambitu quæsitam, eis uero terribilem, qui uitium nihil metuerunt. THEOPH. Non ignauiter aut obiecta refellis, aut astruis uera. Sed si corpora ob consortium

Nunq; in hanc uitã redit aĩa

animæ immortalitate donantur, etiam mutorũ animalium huiusmodi fore certum est, cum & ipsa animæ expertia non sunt. EVXI. Animæ quidem, sed irrationalis atq; mortalis o sapientissime, quæ cum corpore una interit atq; dissoluit. Si igitur desijt anima, ociosa est resurrectio corporis, neq; enim sui causa, sed ad animæ gratiam resurrectura sunt cor-

Bruta pora. Brutis igitur immortale nihil insitum est. Nam & illorum anima a morte superata, deijcitur. Nostra uero anima (quippe immortalis) corpori cõiuncta, semen illi quoddam immortalitatis infudit. Et quod præstantissimũ sit, necesse est, creatoris sui homo, ueluti stirps germẽq; processit. Nihil ergo prorsus humanæ substantiæ potuit mortale persistere. Porro mutarũ animantium generationẽ elementis proferre mandauit, eiusq; præceptum uim naturæ percepit. Ea igitur ijsce elemẽtis ueluti parẽtibus ædita, omnino soluuntur ac defluunt. Nullum quippe unq̃ immortalitatis gustum accepere. At uero humanum corpus coniunctum animæ ad operandum, immortali sensim nutritur alimonia, & ad omnem artem aptissime elegantissimeq; una agitatur, atq; ideo non nihil immortalitatis attraxit, neq; a gustu nectaris usq;quaq; ieiunat. Non igitur lapsum in mortem perpetuo iacebit. Nam si solis repercussa radijs, aqua calescit per sui naturam frigida, ita ut ex ea ignis & flamma consurgat, quis iam credere differat hominis corpus, animam immortalem, totam intra se nactam uim quandam & radium immortalitatis sibi uendicasse? Sicut enim terra ignita sulphur, interim quidem frigida tactu iacet atq; algida, si uero ignis illi propius admoueatur, eum facile corripit, cui primo clam familiaris erat, celeriterq; succendit, & uim suam effectu operis monstrat, atq; in ignis migrare ordinẽ properat,

perat,sic hominũ corpora,animæ immortali congressa atq; commixta,tempus quidem reliquum frigida & omnino im mobilia iacere abiecta uidentur,sed cum sint ad animæ con sortium idonea, si quando illi rursus misceantur & circum- foueant,agiliter & strennue resurgunt,libentissimeq; priscã societatem complexa,ad immortalitatẽ euolare festinant. Neq; sane incredibilis est materiæ in meliora mutatio. Namq; & apud nos qui prudenter materiam callent,argen tum stannumq; assumentes,priori specie omnino deleta & in formam honestiorem præciosioremq; traducta, aurum pulcherrimum atq; optimum faciunt. Arena item dispersa iacet, & nitrum itidem fusum ,uerum humana ars,ex hisce nouum quoddam excogitauit, atq; lucidissimum uitrum. Arborum quoq; mutationẽ & insitiones celebrant rustici. Quid ergo creatorem hominum imbecilliorem hominibus imperitioremq; arbitramini. Quamdiu neq; eorum quæ fiunt quotidie fide futura,ut credatis admonemini,sed cum plurima certamen exercitia præcesserint,uosq; ad certandũ compararitis in ipso certamine obliti omnium, formidine, metuq; territi cæditis? Si factus est mundus,ut est profecto factus & homo,primũ de terra corpus acceperit, unde etiã per naturam debuit postmodum corpus aliunde q̃ de ter- ra restitui? Quid contra ueritatem contraq; concessa con- sensu omnium tam improbe obsistitis? Qui & obscura & inepta ac turpia tam libenter admittitis? Vos enim dum Glaucum Minois filium melle suffocatum, Polyidus uates ex Argis Cretam profectus suscitasse dicitur herba a draco ne percepta,nihil cunctati protinus creditis,& omnia absq; discussione suscipitis.Quodq; Hyppolitũ Esculapius, atq; Tindarum (& hoc enim fertur) excitarit, Alcestemq;

Glaucus

Esculapius

Hercules

Hercules, & Theum, & Timonem Lidumq;, & Timosthenem Atheniensem Eudoxo narranti facillime creditis. Pindarus quoq; Thebanus & Herodotus Alicarnaseus Aristeum tradunt Proconnesium, Proconnesi ingressum ad fullonẽ, ibi uita functum esse, & tempus aliquod delitescentem palam cœpisse loqui, ducẽtisq; post annis in Italia Metapontinis uisum esse, iubentem uti se Apollinemq; honorarent, sequebatur enim (inquit) tunc Apollinem coruus qui modo Aristeus est, Metapontinosq; misisse Delphos, ut Apollinem interrogarẽt, esset illi obtemperandum, nec ne, Pythiamq; respondisse, si parerent bene sibi illos suisq; consulere. At nunc Aristei cognomẽto, statua sub signo Apollinis stat, & quasi dijs, sacrificium nouum utrisq; decernitur. Quæ omnia uos passim & sine discussione sequimini, non secus ac pecudes fruticem, atq; inuicem gratulantes plausu & saltibus luditis. Nullus enim eis cõtraria scripsit, aut unq; reluctatus est. Cæterum si conditor ipse immortali animæ, corpus quoq; immortale facturum pollicetur, ad hoc hæretis atq; fluctuatis, inuicem admouendum acre bellum & inexorabile constanter hortamini. Atqui & Plato uita functum, Armenium ex inferis ad uitam una cum corpore reuocat. Porro Zoroastes fore aliquãdo tempus, in quo mortuorum omnium futura sit resurrectio, prædicit. Idq; & te & cæteros Theopompus docet, illis tamen ueterum sapientiũ refragatus est nullus. At ij audaci temeritate diuini uerbi sacramentum oppugnare pergunt, quippe diuina sorte destituti, & longissime a ratione remoti, non modo corpus mortale æterno derelinquunt, uerum ipsam quoq; animã præ stulticia & priuatione rationis mori cogunt. Mors eñ animæ, est uirtutis ignoratio. Verum enim Hebræorũ scripta, quæ profecto

Aristeus Proconesi⁹

Plato

Armenius

Zoroastes

quæ profecto Apollinis oraculo laudata sunt, non hominis corpus, sed totũ resurgere hominẽ prædicant. Nunc deniq; & apud Syros & alibi gentium sunt uiri eximij, a puero ad senectutem summa animi & corporis integritate peruecti, animamq; ad cœlestia & intelligibilia leuare semper assueti, corpusq; illi seruire in diuinis obsequijs consuefacientes, qui & actu & cõtemplatione ad philosophiæ arcem peruenientes, mortuos quoq; reuiuiscere fecerunt. Validum sane hoc dogmatis sui argumentum, certissimamq; probationẽ capientes, dogma ipsum apud eos non uerbotenus progredi, sed ex operib9 fidem accipere, dum auditores dogmatis spectatores abscessere. Ac ne fabulam putes esse quod dicitur, ijs fere diebus factum est miraculum, ijs, quæ diximus congruens. Nam uidi equidẽ senem optimũ deoq; charissimum, huic familiaris erat rusticus quidam simplicis ingenij uir, uniusq; paruuli pater is una cum puero senem frequens adibat, boni quippiam & facere & dicere gestiens, frugumq; primitias illuc ueluti ad fanum quoddam deferebat. Breue temporis spacium fluxerat, dum puer languore correptus, uita defungitur. Defunctum nõ humo iuxta legiscita pater occuluit. sed sportæ inijciens, amicis nihil omnino patefecit: sublata humeris sporta, ad senem ut solebat ingreditur, ac deposito onere, senem ut sibi moris erat salutans, illiq; siccis oculis assidens, paucis uerbis auditis & redditis, rursus abscessit, puerum ut iacebat in sporta, quasi uuæ primitias linquens. Vbi ꝟo sol occubuit, oratione solenni senex ex more impleta, sportã uuæ gustum percepturus exoluit, discussisq; pampinis, nõ racemos, sed puerum exanimem reperit. Admiratus fidei speiq; paternæ magnitudinem senex, eleuato ad deum animo, supra pueri cadauer incubuit, nec ante sur- Syri

rexit, q̃ꝫ paruulus ille resurgeret. Ita excitatũ remittit ad patrem. Ipse uero fuga correpta, locũ illum sedemqꝫ deseruit, ne admiratione perciti homines, illi molestias inferrẽt. Hoc profecto opus rationibus superiorib⁹ concinit. Nunq̃ꝫ em̃ ille tantũ opus patrare potuisset, si falsa eius fuisset opinio. Sed sane uerbum qđ a deo ipso didicerat, dei nutu in opus eduxit. Porro istud maxime probabilis est argumenti species, id facere qđ fieri possibile esse pollicearis. THEOPH. Nouum quidem istuc est atqꝫ mirabile, sed uero inspectori fidem nõ habere phas non est. EVXI. Aliud tibi quiddã referre aueo, qđ istis oculis inspexi. Sed accipe. Viro cuidam optimo discipulus erat nõ malus, uerũ is cum animi honestate polleret, luminibus orbatus erat. Cum ergo senior ex uita esset migraturus, propius assistens cæcus orabat sibi ut opem ferret. At ille si uera inquit mihi fides & uerax opinio est, erit propicius deus, & die septima disiecta caligine, hunc aspicies solem. ijs dictis, senex efflauit animã. neqꝫ secus atqꝫ ille prædixerat contigit, sed die septima, qui interim fuerat cæcus, solis radios hausit, & sumpto codice publice legens in stuporẽ spectantes cõuertit. Persuasitqꝫ cõtentioso auditori immortalẽ esse animã, eamqꝫ cum præclare educata & instituta, hinc perfecta fuerit, mortale postmodũ corpus facile excitaturã. THEOPH. Felix profecto es, tibiqꝫ quod ita sentias, & ista aspexeris, gratulor. EVXI. Ista quidẽ apud nos, cæterũ alia huiusmodi plurima & facta sunt & postea fient. Qđ autẽ heri fere contigit, & ipse reor aspexisti. THEOPH. Quid illud est. EVXI. Magna Lybia, durissima tyrannide premitur, infensa ꝟo tyrannidi clæmẽtia est, & opinio uera. Tyrannus em̃ subiectorũ pietatẽ pro crimine ducit, honestissimumqꝫ hoc dogma sacerdotes abnegare iubet. Non

obtemperantibus

obtẽperantibus(o impietatẽ ſacrilegam) linguã plenã pietatis abſcidit,exemplo Terei, quẽ refert fabula,oppreſſa uirgine,dum cupit latere crimẽ,ſceluſq; ſe putat obtegere,præcidiſſe uirginis linguam. At puella quidẽ ſcænam totam intexuit peplo, crimenq; quod lingua proferre nequibat,arte patefecit. Ii ỽo peplo & arte nihil indigentes,naturæ opificẽ inuocant. Ille nouam eis inauditãq; naturã,tertia demũ largitur die,nõ linguã alterã dans, ſed ſine lingua diſertius loqui,ꝙ antea tribuens. Putabam equidẽ nõ eſſe poſſibile tibicinẽ abſq; tibijs,peritiam ſuæ artis oſtendere,impoſſibile item exiſtimabam fidicinem ſine fidibus muſicam exercere poſſe modulationẽ. Sed plane nouũ hoc mirandumq; ſpectaculum cogit mutare ſẽtẽtiam, nihilq; uiſibile fixum aut ſolidum exiſtimare,qđ deo tranſferre placitũ ſit. Vidi ego uiros,& loquẽtes audiui, articulatamq; uocem ammiratus, uocis inſtrumentum inquirebam,nec ſatis auribus credens, oculis iudiciũ permittere inſtitui,atq; aperiens os,totã radicitus euulſam,inſpexi linguam,maioreq; ſtupore cõprehenſus admirabar, non iam quõ illi diſerte loquerent̃, ſed quo pacto ſeruari potuiſſent. Hoc ſane ingrati cuiuſlibet perfidiam ſoluat, admoneatq; corpora lapſa & in mortẽ ſoluta, reſurgere. Illic nempe ex rebus exiſtentibus erit reſurrectio corporũ, hic autẽ ex nõ exiſtentib⁹ uocis abſolutæ cõgruentia prodijt. Eis ỽo qui talia gerunt, quis tam brutus ac ſtolidus ſit,qui nõ perlibẽter accedat,& quæ illi norunt, nõ toto animo ſuſcipiat ac ſequat̃. THEOPH. Qui eñ fieri poteſt, ut adeo apertis indicijs fides derogetur? Sed quæſo dicas, unde ſapiẽtes iſti didicerũt,ut quæ uerbis edocent,operibus aſtruant? EVXI. Deus,uirorũ optime,deus manens,quod erat,per ſummã clæmentiã homo factus,& uerbi ſapientiã, Tereus

h 2 & uirtutẽ

& uirtutẽ operis inſpirauit idoneis. Ipſeq; primus (quippe deus) corpus ſuũ ad imortalitatẽ excitauit, reſurrectioniſq; cõmune donũ fore cunctis pollicet᷑. Enimuero mẽdacij con uinci non modo deum, ſed ne ſapientẽ quidẽ uirum fas eſt. Quiq; illius obtẽperat legib9, deus iam erit immortalis, nõ ultra mortalis, ut immortalitate donatus ſpiritalib9 ſubſtan tijs admiſceat᷑, & deinceps cœleſti regi honeſtiſſime perpe tuo aſſiſtat. THEOPH. Credo fideliter ac libẽter obtẽpero. Iam eñ profecto ſentio clæmẽtiã dei, iam intelligo quantũ ille propicius & q̃ alto cõſilio, humanos ſit miſeratus erro res. Sed ualeat ſane Academia, ad illum aũt proficiſcamur. Et ipſe eñ Plato, hactenus Platoni obtẽperandũ monet, quo ad ſapiẽtior illo quiſpiã in terris reuelet᷑. Quid autẽ ſa pientius deo? EVXI. Verum eñ qñ huc ipſo duce perueni mus, immolemus deo ſacrificiũ laudis nõ Hecatombem, ut apud Athenienſes Mineruæ, neq; formicã, ſicut in Iſthmo Soli & Neptuno, ſed purgato animo, ipſi deo ſimiles nita mur euadere. Nam immundo mundũ attingere, nefas eſſe cenſetur. O rex pater & cõditor omniũ, o prima ſapiẽtia pa tris atq; uerbũ, per qđ cuncta produxit. Qui eñ niſi ſapien tia & uerbo creat deus. O ſancte ſpiritus per quẽ deus inſpi rat omnes, cõtinet cõtinue, ſeruat, atq; ad perfectũ ducit. O beatiſſima trinitas & ſancta unitas, des nobis, ſupernæ pul chritudinis perpetuã memoriã. Des item omnib9 immorta litatem. THEOPH. Satis oratum eſt, ſed proficiſcamur.

DIALOGI QVI THEOPHRASTVS
INSCRIBITVR AENEAE
PLATONICI
FINIS.

MARSILIVS FICINVS FLORENTINVS DOMINO GERMANO DE GANAY PARRHISII CONSVLARI REGIO VIRO DOCTISSIMO S. P. D.



VLtis iam diu de causis te multum amo, nec minus q̃ Germanum suauissime mi Germane, iuuat me, ut uides gratioso tuo nomine Germano sæpe ludere, ac te forsitan iuuat audire. Cum inquam ob uirtutes multas te tamdiu nõ mediocriter amem, q̃ plurimũ tamen propter singularẽ erga defunctos præcipue præstantissimos charitatẽ. Hæc em̃ pietatis diuinæ species est, & rarissima quidẽ atq; liberalissima. Soli profecto uidentur gratis amare, qui defunctos amant, a quibus plærīq; nihil sperant. Tametsi Plato Plotinusq; multa ab his afferri beneficia posse disputant. Ego igitur ut te ꝓpter acerbum POLICIANI PICIq; uirorum excellentium obitum mœrentem pro uiribus consolarer, statui ad te mittere, quæ ex libro Athenagoræ Atheniẽsis Philosophi Christiani de resurrectione iamprid ẽ excerpsi interpretatus e Græco. Si hæc & præterea quæ in theologia Platonica de resurrectione tractamus, cõsyderaueris, leuius fortasse mœrebis. Lege igitur acuiue feliciter uir & amice diuturna & felici uita dignissime.

ATHENAGORAE ATHENIENSIS DE RESVRRECTIONE EXCERPTA PER MARSILIVM FICINVM FLORENTINVM.

ARGVMENTVM.

Athenagoras Atheniensis philosophus Christianus, floruit tempore Marci Aurelij Antonini & Commodi, infra ducētesimum a Christo annum, & in libro de resurrectione ista condudit.



Ationes de rebus humanis, aliæ trahuntur ex ordine naturali, aliæ ducuntur ex ordine prouidentiæ, quales sunt rationes de resurrectione mortuorū. Si ergo probemus hanc deum posse scire, uelle, eam fere iam probauerim⁹. Deus antequā componeretur homo, sciebat totum mundi corpus, & partes eius elemētales atq; particulas, & quomodo & quando conflandæ inuicem forent ad hunc hominē componendum aut illum. Similiter quando dissoluitur, intelligit quo potissimum partes & particulæ, & quibus gradibus postremo peruenerint. Scit ergo uicissim unde recipiendæ, quibusue modis in eandem rursus formam reconciliandæ sint, ad eundem hominem iterum componendum. Scientia uero

penes

penes deum,& poteſtas idem,& quemadmodum quod ab initio cognoſcebat & facere poterat,ita quod cognoſcit, adhuc æque reficere poteſt. Deus cũ ſit ſapientia ipſa,ideoq; nihil fruſtra faciat, hominem ſapientiæ compotem nõ fecit fruſtra,igitur ad certum finem. Non ad hunc uidelicet finẽ, ut uel ſuperiora nobis, uel inferiora ad uſum ſuum utantur homine:Illa enim hoc uſu non indigent, hæc autẽ ad uſum noſtrum potius ſunt inſtituta. Fecit igitur deus hominem propter ſeipſum, atq; propter bonitatem ſapientiamq; in uniuerſo dei opificio cõtemplabilem. Fecit utiq; hunc deus ut uiueret quidẽ, neq; prorſus extingueret brutorũ inſtar. Huic enim animali intra ſeipſum authoris ſui dei ſimilitudinem geſtanti per intellectum atq; rationem, ſempiternam deus uitam eſt largitus. Nempe bruta non propter ſeipſa, ſed propter aliorũ uſum creata ſunt, quo quandoq; ceſſante, non eſt eorum perſeueratio uel reſtitutio amplius neceſſaria. Homines autem nõ ad alienum uſum ita ſunt creati, ſed ad uitam ſuam ita cõtinuandam,ut authoris ſui potentiam,ſapientiamq; conſyderantes,legemq; & ius obſeruantes,una cum illis ſempiternam uitam producerent, cum quibus acceptam ab initio uitam continuerũt. Deus ſiquidem naturã dedit homini ex anima immortali & corpore inſtitutam mortali uidelicet,ut tali animæ ſe uniret diuina cõtemplanti,deumq; imitanti per legum obſeruantiam diuinarũ. Hic igitur actus circa æternum,hic finis in actu intimo conſtitutus,declarat fore hominem ſempiternum,in natura uidelicet ſua ad actum eiuſmodi conducente in copula corporis ſimul & animæ, quæ ſi quando diſſoluatur, reſtituenda eſt per reſurrectionem ſperatam a nobis, non uana quidẽ ſpe,ſed certiſſimo quodam fideiuſſore, conſilio uidelicet diuino ad

uino ad eiusmodi officium finemq; sempiternum, naturam hominis eiusmodi procreante. Deus hominē non in alienum usum retulit, sed ad actum suæ naturæ intimum procreauit imitaturum deum per contemplationē & obseruantiam diuinorum. Qui sane finis cum ipsi naturæ sit intimus, ad sempiternumq; directus, declarat hominem sempiternum fore, hominem inquam nō animam solam, sed speciem ex anima, corporeq; compositam. Ad hanc enim constituendam, deus uelut partes animam redegit & corpus. Compositi quidem hominis procreatio est, compositi natura, compositi uita communis ex actionibus, passionibusq; tam corporis q̄ animæ congregata. Compositi igitur finis est communis, id est imitatio dei. Atq; per hanc eiusdem fruitio. Iusticia quoq; diuina in iudiciū trahet, utrunq;, commune præmium uel supplicium reportaturum ex actione & passione uitaq; communi. Non potest autem finis fore communis & unus iusteq; exhibitus, nisi ad unum communem, eumq; hominē, qui cōmuniter operatus fuerat quandoq; pertineat. ad hoc autem necessaria est resurrectio defunctorū. Dedit deus homini intelligentiæ rationisq; iudicium ad cognoscenda intelligibilia deiq; bonitatem & sapientiam atq; iusticiam. Cum igitur hæc sempiterna sint, consequens est hominem ad sempiterna natum, fore & sempiternum. Hominē inquam compositum. huic enim datus est iudicij huius usus officiumq; uirtutum, & imitatio diuinorum. Ac nisi compositum maneat, non permanet usus, officiumq; eiusmodi. Non potest autem absq; resurrectione homo sempiternus fore. Nisi uero restituatur homo in sempiternum, temere frustraq; coniuncta fuisset anima corporis indigentiæ, passionibusq; innumeris, frustra corpus

impeditum

impeditum a ratione,quo minus oblectamentorũ ſuorum quotidie potiretur. Temerarius fuiſſet laborioſus uirtutũ uſus,religioſaq; iuſticiæ legumq; obſeruatio. Perſeuerantiã utiq; ſempiternã pro diuerſitate naturarũ, alia quidẽ aliter habent,angeli immobiliter,cœleſtia uero mobiliter,ſed continue,homines autẽ mobiliter atq; interrupte,anima quidẽ perſeuerantiã continuam, corpus intermiſſam uitam,bruta nullo modo. Ad naturã eñ corporis aſpicientes,diſſolutionem timemus. Ad naturam uero animæ uſumq; uirtutũ & ſcientiam creatoris, reſurrectionem corporis expectamus. Corporis præterea uitam nõ minus ꝑpter hoc ſempiternã dicim9, q; ſit ad tempus per ſeparationẽ animæ interrupta. Quemadmodũ & uniuſcuiuſq; hominis uitam dicim9 uſq; ad obitũ unam,atq; cõtinuã, etſi per uiciſſitudines quaſi ſit intermiſſa, & per ætatũ mutationes admodũ permutata.

QVOD EX PROVIDENTIA IVSTICIAQVE DIVINA RESVRRECTIO SIT. CA. II.

DEus qua ſapiẽtia fecit,facitq; omnia,eadẽ & ſingulis aſſidue prouidet,& qua iuſticia uarios in mundo diſpoſuit gradus,eadẽ ſua cuiq; diſpẽſat ubiq;. Prouidentia hæc,homini ex anima corporeq; cõpoſito,nutrimentũ ſucceſſionẽq; prouidit. Prouidit ergo compoſito quoq; iudiciũ diſpenſaturũ iuſte,cõmune præmiũ uel ſupplicium ꝑ actionibus paſſionibuſq; animæ corporiq; communibus. Iudiciũ uero eiuſmodi in uita præſenti minus impletur,ubi impij quidem plærumq; fortunati ſunt, pij uero iuſtiq; frequẽter infortunati. In altera uita quinetiã expleri nequit iudiciũ cõmunia iuſte diſtribuens,niſi ſequat̃ corpo-

rum resurrectio. Corpus profecto sicut fuit animæ socium in actionibus passionibusq; tam uirtutũ q̃ uitiorũ,& in sanctimonia & martyrio comes,ita debet in pœna uel præmijs habere cõsortiũ.est ergo corpus idem resurrecturũ.Nisi em̃ præmia manerẽt uitæ sequẽtis, prouidentia,iusticiaq; diuiuina traheret̃ in dubium.Homo quinetiã brutis foret miserabilior, qui religionis & iusticiæ gratia,corporeis se priuat oblectamentis,& incõmoda subit innumera. Ipsaq; uirtus, religio,leges,delyramẽta forent atq; detrimẽta. Nisi resurgant corpora,nõ habet iusticia diuina locum in corpore uel anima. Non in corpore, quia iniustum foret animã habere præmia laborũ, in quibus magnã partẽ perpessum est corpus,ipsum ṽo nõ habere in præmio partẽ. Non in anima, quia iniustum esset animã solam dare pœnas peccatorũ q̃ plurimorũ quæ nõ commisisset, nisi corpus ei fuisset adiunctum. Nam corporeæ necessitatis uoluptatisq; & passionis gratia perturbationes subit plurimas & sæpissime peccat. Vitia nõ sunt solius animæ,sed sunt in composito cõtracta, uidelicet ex indigentia & incitamẽto corporis.Similiter uirtutes sunt in composito.nam animæ soli nunq̃ profectæ in corpus nõ fuisset opus fortitudine,cõtinẽtia,tolerantia,consilio pro rebus agendis similiq; iusticia. Sunt ergo uirtutes fundatæ,hinc quidem in anima,inde uero in corpore,qđ & confitent̃ omnes, uirtutes scilicet saltẽ morales esse assuefactiones quasdam animalis corporisq; nostri. Non est ergo iustũ solam animã uel supplicia uitiorũ uel uirtutũ præmia reportare. Leges datæ diuinitus,nõ animæ soli sunt datæ, sed homini.non em̃ fuisset opus animã arcere ab adulterio, homicidio, furto, similibusq; rebus, quæ sunt ad corporis

indigẽtiam

indigentiam usumq; corporeum. Compositũ ergo qđ est legibus alligatum, iuste uel subiturũ est obseruatarũ legum præmia, uel præuaricationis supplicia perpessurũ. Cum singula pro diuersitate naturarũ fines ꝓprios habeant, necesse est naturã hanc rationalem qñq; finẽ ꝓpriũ obtinere. Non est autẽ hic finis indolentia. est eñ corporibus inanimatis quoq; cõmunis. neq; rursus oblectatio sensualis, communis eñ est brutis. Sed est aliquid potius scđ'm propriam eius præcipuamq; naturã & uirtutẽ & actionẽ, id est rationalem intellectualẽq; perceptũ, in quo deniq; conquiescat, & in quo statu uirtus ipsa suis præmijs perfruat'. Eiusmodi finem in uita præsenti nunq̃ assequi possumus. Igitur in futura. Cum uero sit finis uitæ actionisq; humanæ, atq; uita & actio cõmunis sit atq; cõpositi, consequens est finẽ illum ad cõpositũ pertinere. Per quam sane cõsequentiam futurã resurrectionẽ auguramur, præsertim quia cum diuinus noster opifex omnia sui gratia fecerit, ideoq; rationẽ, & intelligentiam diuinorũ cõpotem ad seipsum cõtemplandum nobis ab initio dederit. Vnde concludit' cõtemplationẽ dei, firmam, absolutãq;, hominis esse finẽ. Hæc autẽ breuiter de resurrectione dicta sint nobis, non proponẽtibus quidẽ de hac quæcunq; dici possent eloqui, sed quædã oportuniora pro tẽpore, quæ & audientes facilius percipere possent.

ATHENAGORAE DE RESVRRECTIONE, MARSILIO FICINO INTERPRETE

FINIS.

BEATVS

RHENANVS CANDIDO LECTORI S. D.

DIuus Aurelius Augustinus secundo Retractationum libro, capite. xlij. indicat aperte Xystum huius authorem libelli, non Romanum illum episcopum & martyrē fuisse, sed philosophum quempiam, sic scribens: Librum quo Pelagio respondi, defendens gratiam non contra naturam, sed per quam natura liberatur & regitur, de natura & gratia nuncupaui, in quo uerba quædam uelut Syxti Romani episcopi & martyris Pelagius posuit, ita defendi tanq̃ reuera eiusdem Syxti essent, id enī putaueram. Sed postea legi Syxti philosophi esse, non Christiani. Hactenus Augustinus. Cæterum qui libellum hunc e Græco uertit, siue is Rufinus fuit, siue alius quispiam, quanq̃ phrasis ipsa plane Rufinum olere uidetur astipulantibus etiam uetustis exemplaribus, Syxti martyris titulo legi uoluit, nimirum quo Christiani illum cupidius amplecterent̃. Sic Eusebius Cæsariensis primum pro Origene librum, Pamphilo martyri inscripsit, ut commodius tam eximij patroni sanctimonia libri περὶ ἀρχῶν, hoc est, de principijs, Romanis commendarentur. Nam olim antiqui, si quando expedire uidebat̃, a pijs hoc genus mendaciolis, non ita abhorrebant. Porro meminit etiam Xysti diuus Hieronymus contra Iouinianum, sententiolam ex

eo citans

eo citans his uerbis. Vnde & Xyſtus in ſententijs, Adulter eſt (inquit) in ſuam uxorem, amator ardentior. Hanc itaq; Xyſti γνωμολογίαν, ad antiquum exemplar quod Seleſtadij in bibliotheca diuæ Fidis ſeruatur, in rem ſtudioſorũ proximo Septembri curſim recognoui. Tu quiſquis es, feliciter lege, Et bene Vale. Baſileæ. Calend. Octobrib. AN. M D XVI.

LAVRENTII ABSTEMII CARMEN AD LECTOREM.

Aſtrigeras quicunq; cupit conſcendere ſedes,
Viſere & immenſi radiantia tecta tonantis,
Quo nihil humanis toto ſublimius orbe
Mentibus occurrit, legat hunc, relegatq; libellum,
Et faciat quæcunq; monet. nanq; oſtia cœli
Sancta fides, pietas, ſpes, iuſti cultus & æqui
Puraq; mens, homini, non uerbula ſola recludunt.

τέλος.

i 3

166

RVFINVS APRONIANO SVO S. P. D.

SCio quia ſicut grex ad uocem proprij paſtoris libenter accurrit, ita & religioſus auditor uernaculi doctoris admonitionibus gaudet. Quia ergo chariſſime fili Aproniane, religioſa filia mea ſoror iam in Chriſto tua, popoſcerat a me, ut ei aliquid quod legeret tale componerem, ubi neq; laboraret in intelligendo, aperto & ſatis plano ſermone, Sixtum in latinum uerti, quem Sixtum ipſum eſſe tradunt, qui apud uos idem in urbe Romana Sixtus uocatur, epiſcopi & martyris gloria decoratus. Hunc ergo cum legerit, inueniet tam breuem ut uideat ſingulis uerſibus ingentes explicari ſenſus, tam uehementem, ut uerſus ſententia ad totius poſſit perfectionem uitæ ſufficere, tam manifeſtum, ut nec aſſiſtens quidē legenti puellæ expertem ſe intellectus eſſe cauſetur. Omne autem opus ita breue, ut de manu eius nunq̃ poſſit recedere, totus hic liber ibi priſtini alicuius precioſi obtinens anuli locum. Et reuera æquum uidetur, ut cui ꝓ uerbo dei, terrena ornamēta ſorduerant, nunc a nobis ad uicem, uerbi, & ſapientiæ monilibus adornetur. Nunc ergo interim habeatur in manibus pro anulo liber, paulo poſt uero in theſaurum proficiens totus ſeruetur in corde, ſermones diſciplinæ, & bonorum actuum cōmunionis de intimo ſuggeſturus arcano. Addidi & electa quædam religioſi parentis ad filium, ſed breue totum, ut merito omne opuſculum, uel Enchiridion, ſi græce, uel latine, anulus appelletur. Vale.

ENCHIRIDIVM XYSTI PHILOSOPHI PYTHAGORICI.

FIDELIS homo, electus homo eſt.
Electus homo, homo dei eſt.
Homo dei eſt, qui deo dignus eſt.
Deo dignus eſt, qui nihil indigne agit.
Deo ſtudens fidelis eſſe, nihil quod deo indignũ eſt, agas.
Dubius in fide, infidelis eſt.
Infidelis homo, mortuus eſt in corpore uiuente.
Vere fidelis eſt, qui nõ peccat, etiam in minimis caute agit.
Non eſt minimum in uita hominum, negligere minima.
Omne peccatum impietatem puta.
Non enim manus uel oculus peccat, uel aliquod huiuſmodi membrum, ſed male uti manu uel oculo peccatum eſt.
Omne membrum corporis quod ſuadet te contra pudicitiam agere, abijciendum. Melius eſt enim cum uno membro uiuere, q̃ cum duobus puniri.
Immortales tibi crede permanere in iudicio & honores & pœnas.
Quicquid ſæculi habes, etiã ſi auferat tibi qs, nõ indigneris.
Teipſum reprehenſibilem non præbeas.
Omnia auferenti a te, cede, præter libertatem.
Sapiens uir & contemptor pecuniæ, ſimilis eſt deo.
Rebus ſæculi in cauſis tantum neceſſarijs utere.
Quæ ſæculi ſunt, ſæculo: & quæ dei ſunt, reddantur deo.

Certus eſto

Certus esto q̄ animā tuam, depositū fidele acceperis a deo.
Cum loqueris de deo, scito quod iudiceris a deo.
Optimam purificationem putato, nocere nemini.
Anima purificatur in uerbo dei per sapientiam.
Nunq̄ putes dei sapientiam insensibilem esse.
Deus sicut mens est quæ mouet̄ spōte, sed'm hæc & subsistit.
Magnitudinē dei non inuenies, etiā si pennis uolare possis.
Nomen dei non quæras, quia nec inuenies: quia omne qd' noīe appellat̄, a meliore nomē accipit: ut ali⁹ quidē uocet, alius autē audiat: quis ergo est, qui nomen imposuit deo?
Deus autem non nomen est deo, sed indicium quod sentimus de deo. Nihil ergo de deo quod non licet, quæras.
Deus sapiens lux est incapax contrarij.
Quæcunq; autem fecit deus, pro hominibus ea fecit.
Angelus minister est dei ad hominem.
Tam preciosus est homo apud deum q̄ angelus.
Primus beneficus est deus, secundus est is qui beneficij eius fit particeps homo. Viue igitur ita tanq̄ qui sis secundus post deum, & electus ab eo.
Habes (inquam) in te aliquid simile dei, & ideo utere te ipso uelut templo dei, propter illud quod in te simile est dei.
Libertatē arbitrij sui permisit deus hominibus sine dubio, ut pure & sine peccato uiuentes, similes fiant deo.
Reuereatur uitam tuam mundus. Nihil admittas quod tibi inuehat notam.
Male uiuentes cum e corpore excesserint, cruciabit malus dæmon usq; quo etiā nouissimū quadrantē exigat ab eis.
Beatus uir cui⁹ animā nemo reprehendit ad deū pergentē.
Quicquid super omnia honoraueris, hoc tibi dominabit̄.

Deum

Deum ergo honora ſuper omnia, ut ipſe dominetur tibi.
Si autem dominatum tui gerit deus, ita tu demum dominaberis omnibus.
Honor ſummus deo, ſcire eum, & imitari.
Simile quidem deo per omnia nihil eſt, grata tamen ei eſt inferioris pro ut poſſibile eſt imitatio.
Templum ſanctum eſt deo mens pij, & altare eſt optimũ ei cor mundum & ſine peccato.
Hoſtia ſoli deo & acceptabilis benefacere hominib⁹ ꝑ deo.
Deo gratiam præſtat homo: qui inquantum poſſibile eſt, uiuit ſecundum deum.
Deus quidem nullius eget, fidelis autem dei ſolius.
Emulatur ergo illum qui nullius eget, is qui paucis in rebus, neceſſarijs indiget.
Satis age magnus quidem eſſe apud deum, apud homines uero inuidiam fuge.
Si benignus ſis apud indigentes, magnus eris apud deum.
Sapiens uir, cuius uiuentis quidem parua eſt apud homines opinio, defuncti uero gloria prædicatur.
Omne tẽpus in q̊ de deo nõ cogitas, hoc puta te perdidiſſe.
Corpus quidem tuum incedat in terra, anima autem ſemper ſit apud deum.
Intellige quæ ſint bona, ut bene agas.
Bona cogitatio hominis deum non latet, & ideo cogitatio tua pura ſit ab omni malo.
Dignus eſto eo qui te dignatus eſt filium dicere, & agere omnia quaſi filius dei.
Quod deum patrẽ uocas, huius in actib⁹ tuis memor eſto.
Vir caſtus & ſine pctõ, poteſtatẽ accepit a deo eſſe fili⁹ dei.

k Bona

Bona mens,chorus eſt dei.
Mala mens,chorus eſt dæmonum malorum.
Iniuſtũ ſi inhibeas agere iniuſte,hoc eſt, ſed'm deũ punire.
Satis age non uideri,ſed eſſe iuſtus.
Certum eſt enim non eſſe eum qui uideri uult eſſe.
Honora qđ iuſtum eſt, propter hoc ipſum qđ iuſtum eſt.
Nequaq̈ latebis deũ agens iniuſte, ſed nec cogitans quidẽ.
Vir ſapiens,caſtus erit deo.
Omnem ſpurciciam fuge.
Semper de bonis loqui ſtude.
Libidinem uince continens corpus in omnibus, quia ex delitiis & uoluptatibus non effugies ſpurcitiam.
Voluptuoſum deus non exaudit.
Delitiarum finis,corruptio.
Non uerbum, ſed ratio præcedat actus tuos.
Pernicioſum eſt ſeruire uitiis:quia quot uitia habet anima, tot & dominos.
Amor pecuniæ, amorem carnalium indicat.
Acquire poſſeſſionem firmam animæ uirtutem. Quid eſt firma poſſeſſio,niſi uirtus aut uis animæ?
Renuncia rebꝰcorporis dum adhuc potes,& quantũ potes.
Hoc ſolum tuum ducito quod bonum eſt.
Qualis uis eſſe dum deum oras,talis ſemper eſto.
Dum optima quæq; abieceris prædia,tum purificatus pete quod uis a deo.
Qualis uis eſſe apud deum,iam nunc eſto talis.
Dum diſtribueris ea quæ mundi ſunt, & ea deſpice tanq̈ ſciens eſſe præter deum.
Lingua maliloqua, indicium eſt mentis malæ.

Inſueſce

Insuesce linguam tuam bene proloqui, & maxime cum de deo sermo sit.
Male quidem deo facere nemo potest.
Impius autem est qui blasphemat. hoc enim solum quod potuit, fecit.
Fundamentum pietatis, est continentia: culmen autem pietatis, est amicitia ad deum.
Pium hominem habeto tanq̃ teipsum.
Opta tibi euenire non quod uis, sed quod expedit.
Qualẽ uis esse ꝓximũ tuũ tibi, talis esto & tu tuis ꝓximis.
Quæ culpes, facere noli.
Nulli suadenti acquiescas petere quod non est bonum.
Quod tibi deus dat, nullus auferre potest.
Delibera priusq̃ agas: & anteq̃ agas, prouide quale sit q̃d facturus es.
Si quid non uis scire deum, istud nec agas nec cogites.
Priusq̃ agas quodcunq; agis cogita deum, ut lux eius præcedat actus tuos.
Grandis impietas in deum, affligere hominem.
Anima illustratur, recordatione dei.
Contentus esto. De mediocribus stude.
Noli omnia concupiscere.
Occasiones bonorum perquire etiam cum labore.
Noli diligere ea quæ corporis sunt.
Immundum hominem facit actus turpis.
Purgat᷑ aia insipiẽtis cũ arguit᷑ intrinsecus latens sensus ei⁹.
Deus in bonis actibus, hominibus dux est.
Neminem inimicum deputes.
Dilige omne quod eiusdem tecum naturæ est.

Deum uero etiam plusq̃ animam tuam dilige.
Pessimum est peccatoribus in unum cõuenire cum peccant.
Multi cibi impediunt castitatem, & incontinentia ciborum immundum facit hominem.
Animantium omnium usus quidem in cibis indifferens, abstinere uero rationabilius est.
Non cibi qui per os inferuntur polluunt hominem, sed ea quæ ex malis actibus proferuntur.
Quicquid cupiditate uictus acceperis, polluit te.
Multitudini placere ne satis agas.
In omni quod bene agis, auctorem esse deputa deum.
Mali nullius author est deus.
Non amplius possideas, q̃ usus corporis poscit.
Aurum non eripit animam de malis.
In delitijs corporis positus, certum est: quia ignores illa quæ præparata sint tibi a deo.
Ea posside quæ nullus possit auferre a te.
Fer quod necesse est, sicut necesse est.
Magnanimus esse stude.
Ea quæ si contemnes, recte laudaris, ne retineas.
In quibus probabiliter magnificus eris, hæc obtine.
Hæc posce a deo, quæ dignum est præstare deum.
Ratio quæ in te est, uitæ tuæ ipsa sit lex.
Ea pete a deo, quæ accipere ab homine non potes.
In quib⁹ præcedere debet labor, hæc tibi opta euenire post laborem.
Oratio uel uota pigri, sermo uanus.
Non oportet contemni ea, quibus etiam post depositionẽ corporis indigemus.

Non petas

Nõ petas a deo id qđ cũ habueris, nõ perpetuo obtinebis.
Inſueſce animã tuã aliquid magnũ de ſe ſentire, poſt deum.
Nihil precioſum ducas qđ poſſit auferre a te homo malus.
Hoc ſolum bonum putato, quod deo dignum eſt.
Quod deo dignum eſt, hoc & uiro bono.
Quicquid non conuenit ad beatitudinem dei, non cõueniat
hominí dei.
Ea debes uelle, quæ & deus uult.
Filius dei eſt qui hæc ſola precioſa ducit, quæ & deus.
Donec in deſyderijs eſt caro, anima ignorat deum.
Cupiditas poſſidendi, origo eſt auariciæ.
Dum ſemetipſum quis ampli9 diligit, inde iniuſticia naſcit.
Naturaliter parum quidem corpus moleſtum eſt animæ,
Luxuria uero facit corpus intolerabile.
Omne quod homini plus eſt, q̃ neceſſe ſit, inimicũ eſt ei.
Qui amat quod non expedit, non amabit quod expedit.
Sapiens uerbis innoteſcit paucis.
Qui ſtudet his quæ nõ ſunt bona, latebunt eũ q̃ ſunt bona.
Semper apud deum mens eſt ſapientis.
Sapientis mentem deus inhabitat.
Inexplebilis eſt oĩs cupiditas, propterea & ſemꝑ indiget.
Sapiens ſemper ſimilis eſt ſibi.
Sufficit ad beatitudinẽ agnitio dei ſolius & imitatio.
Malis qui adulatur, peiores eos facit.
Intolerabilis fit malicia, cum laudatur.
Lingua tua ſenſum tuum ſequatur.
Melius eſt lapidem fruſtra iactare, q̃ uerbum.
Delibera anteq̃ dicas, ne quæ non expedit dicas.
Verba ſine ſenſu, opprobria.

k 3 Verboſitas

170

Verbositas non effugiet peccatum.
Breuis est in sermonibus sapiens.
Indicium imperitiæ, est longa narratio.
Veritatem dilige.
Mendacio tanq̃ ueneno utere.
Ante omnia tempus uerbis tuis requirito.
Tunc loquere, quando tacere non expedit.
De quibus ignoras, tace.
De quibus autem certus es, loquere opportune.
Sermo extra tempus, indicium maliciosæ mentis est.
In conuentu ne satagas primum dicere.
Melius est uinci uera dicentem, q̃ uincere mentientem.
Fides actus tuos omnes præcedat.
Sapientia animam perducit ad deum.
Nihil autem tam uernaculum sapientiæ, q̃ ueritas.
Nunq̃ potest anima bona mendacium diligere.
Prauo & pessimo ingenio, fides aliena est.
Fidelis homo audire quæ oportet amat magis, q̃ dicere quæ non oportet.
Vir libidinosus ad omnia inutilis est.
Irreprehensibilis autem in uerbis unitur deo.
Peccata discentium, opprobria sunt doctorum.
Mortui sunt apud deum, per quos nomen dei maledicitur.
Sapiens homo, beneficus post deum.
Sermones tui, uitam tuam commendent auditoribus.
Q d' fieri nō decet, neq; in suspitionē ueniat quasi id feceris.
Quod pati non uis ab alio, neq; id facias.
Quæ tibi facere est turpe, hæc & aliij imperare facienda turpissimum est.

Etiam

Etiam in cogitationibus tuis mundus esto a peccato.
Cum præes hominibus, memento ꝙ & tibi præest deus.
Et uindicans homines, scito quia & iudiceris a deo.
Maius est periculum iudicantis, ꝙ̄ eius qui iudicatur.
Leuius est omne uulnus, ꝙ̄ uerbum.
Possibile est uerbo fallere homines, non tamen deum.
Non putes malũ, si tu cum ueritatẽ scias, uindicaris in ũbo.
Male sentire de fide, amor iactantiæ facit.
Fidelis esse magis ꝙ̄ uideri stude.
Cole sapientem uirum sicut imaginem dei uiuentis.
Sapiens uir etiam si nudus sit, sapiens apud te habeatur.
Neminẽ propterea honores, quia multas habeat pecunias.
Difficile est diuitem saluari.
Derogare uiro sapienti & deo, æquale ducito peccatum.
Verbum de deo loquens, depositum te putato accepisse, animas auditorum.
Quod bonum est, hoc solum te dicere putato.
Age magna, non magna pollicens.
Tu non eris sapiens, si te reputaueris sapientem.
Non potest bene uiuere, qui non integre credit.
In tribulationibus qui sit fidelis, agnoscitur.
Finem uitæ existima, uiuere scd'm deum.
Nihil putes malum quod non sit turpe.
Mali finis iniuria, iniuriæ autem perditio.
Non ascendit passio in cor fidelis.
Omnis passio animi rationi eius est inimica.
Quicquid feceris dum in passione est anima, pœnitebis.
Passiones ægritudinum initia.
Malicia est ægritudo animæ.

Animæ

Animæ autem mors, iniusticia & impietas.
Tunc te putato fidelem cum passionibus animæ carueris.
Omnibus hominibus ita utere, quasi communis omnium post deum prouisor.
Qui hominibus male utitur, seipso male utitur.
Qui nihil mali uult, fidelis est.
Opta ut bene possis facere inimicis.
Sine deo non poteris uiuere deo.
Malis ineptus uidetur uir sapiens.
Omnia suffer pro eo, ut scd'm deum uiuas.
Orationē deus nō exaudit hominis, qui nō egenū exaudit.
Sapientia sapienti donum a deo.
Honorans sapientem, teipsum honorabis.
Fidelem te esse nosce.
Cum filium te quis dei dicit, memento cuius te filium dicat.
Deum patrem inuocans in actibus tuis, hoc memorare.
Verba tua, pietate semper plena sint.
In actibus tuis ante oculos tuos pone deum.
Nefas est deum patrē inuocare, & aliquid inhonestū agere.
Qui non diligit sapientem, nec seipsum diligit.
Nulla propria possessio putetur philosophi.
Quorum communis est deus, idemqꝫ pater, horum nisi & possessio communis sit, impij sunt.
Deo ingratus est, qui non magni ducit philosophum.
Coniugium tibi refutare concessum est, idcirco ut uiuas, indesinenter adhærens deo.
Nubere & filios procreare, pessimum scias utrunqꝫ.
Sin autem tanq̄ꝫ prælium sciens, tamen pugnare uis, & uxorem duc & filios procrea.

Adulter

Adulter etiam propriæ uxoris eſt, omnis impudicus, uel amator ardentior.
Nihil propter ſolam libidinem facias.
Scito te adulterum eſſe, etiam ſi cogites de adulterio.
Sed & de omni peccato, eadem ſit tibi ratio.
Fidelem te eſſe profeſſus ſpopōdiſti, pariter nō peccare deo.
Fideli mulieri ornatui ducatur pudicitia.
Vir qui uxorem dimittit, profitetur ſe nec mulierem gerere.
Mulier pudica, gloria uiri eſt.
Reuerentiam habens uxori, habebis eam reuerentem.
Fidelium coniugium certamen habeat continentiæ.
Prout continueris uentrem, ita & uenereos motus.
Deuita infidelium laudes.
Quæ gratis accipis a deo, præſta gratis.
Multitudinem fidelium non inuenies.
Rarum eſt enim omne quod bonum eſt.
Sapientem honora poſt deum.
Cum argueris ſapientem, diliget te.
Cum argueris ut ſapiens fias, habe gratiam arguentibus.
Qui ſapienti non obtemperat, nec deo obtemperabit.
Fidelis uolens eſſe præcipue quidē hoc nitere ne pecces. Qđ etiam ſi forte acciderit, ſaltem caue ne iteretur idipſum.
Doctrinam quæ non eſt deo digna, ne dicas.
Multa uelle ſcire, curioſitas animi putanda eſt.
Qui cognoſcit quæ deo digna ſunt, ille eſt ſapiens.
Doctrinam ex qua proficere potes in amore dei, illam ſpecialiter & neceſſario expete.
Sapiens uir parcit, ne perdat tempus.
Fiduciam cum uerecundia habeto.

Excrucient te liberi male uiuentes, magis q̃ͅ morientes.
Viuere quidē nō est in nobis, recte autē uiuere in nobis est.
Filij infideles, nec filij.
Fidelis uir non ingrate fert abiectionem liberorum.
Non iudices esse philosophum, cui non de omnibus credis.
Criminationes aduersus philosophum noli recipere.
Stude communiter omnibus benefacere.
Execrabile tibi sit etiam iuste aliquid punire.
Si uis cum lætitia animi uiuere, noli multa agere.
In multis enim actionibus minor eris.
Quod nō posuisti, nō tollas, sed sufficiant tibi quæ tua sunt.
Derelinquens quæ possides, sequere uerbum dei.
Liber enim eris ab omnibus, cum deo seruieris.
Cessa à cibo.
Omni homini impartito.
Pro reficiendo paupere, etiam ieiunare bonum est.
Omne poculum tibi suaue sit, quod sitim extinguit.
Ebrietatem quasi insaniam fuge.
Homo qui a uentre uincitur, belluæ fidelis est.
Ex carne nihil oritur bonum.
Turpissimæ libidinis ea quidē quæ suauia sunt, cito transeunt, probra uero perpetuo manent.
Solent homines abscindere aliqua membrorū suorū ꝓ sanitate reliquorū, quāto id præstantius pro pudicitia fiet.
Grandem pœnam putato, cum in desyderijs obtinueris.
Nunq̃ͅ enim compescit desyderiū possessio desyderatorū.
Non est sapienter factum, in quo libertas aufertur.
Libidinem necessariam tanq̃ͅ non necessariam ducito.
Bona habere omnes quidem optant: obtinent autem qui

semetipsos

ſemetipſos ex integro uerbo dei manciparunt.
Philoſophus & honeſtus eſto, & non obtrectator.
Rara ſit obtrectatio tua & opportuna.
Nimius riſus eſt indicium animæ negligentis.
Non ergo tibijpſi indulgeas diffundi, tam ſubridere ꝙ reſolui.
Caſtorum uita ſit tibi ad honeſtatis exemplum.
Optimum quidem eſt non peccare, peccantem uero agnoſcere, ꝙ ignorare melius eſt.
Iactans non eſt philoſophus.
Magnam ſcito eſſe ſapientiam, per quam ferre potes ineruditorum inſipientiam.
Turpe ducito proprio ore laudari.
Sapientium animæ inſatiabiles in amore dei.
Exordium in agendo a deo ſume quæ agis.
Ore autem prius deum habeto & mente, ꝙ reſpires.
Ea quæ oportet diſcere & ita facere, non coneris facere anteꝙ diſcas.
Carnem noli amare.
Animam bonam poſt deum dilige.
Domeſticorum indignationes ferre ſapientis eſt.
Sapientium diuitiæ, continentia.
Si quid proprium alij tradideris, at ipſe non habebis, non iudices bonum.
Nihil bonum quod non poteſt eſſe commune.
Non dicas aliquod alio peccato leuius.
Sicut in bonis actibus laudari uis, ita in delictis patienter accipe ſi culperis.
Quorũ laudes cõtemnis, neq; derogationes magni pẽdas.

Thesaurum quidem defodere inhumanum est, inuentum auferre non est philosophi.
Quantum autem laboras pro corpore, si tantum labores pro anima, sapiens eris.
Sapiens non est qui nocet.
Ad omnia quæ agis, deum inuoca testem.
Deus bonos actus hominum confirmat.
Malorum actuum, malus dæmon dux est.
Nõ poterit sapiẽs cõpelli facere qđ nõ uidet, sicut nec deus.
Sapiens uir deum hominibus commendat.
Deus inter opera sua omnia, plus super sapientẽ gloriatur.
Nihil tale post deum, uerum, sicut sapiens.
Quæcunq; deus possidet, hæc & sapiens.
Malus uir non putat esse prouidentiam.
Anima mala deum fugit.
Omne quod malum est, deo inimicum est.
Qui sapit in te, hunc dicito esse hominem.
Particeps dei est uir sapiens.
Vbi est quod sapit in te, ibi est & bonum tuum.
Bonum in carne non quæras.
Quod animæ non nocet, nec homini.
Philosophũ hominẽ tanq; dei ministrũ honora post deũ.
Tabernaculũ quidem corporis grauiter ferre superbum est.
Deponere autẽ posse cum oportuerit in pace, beatum est.
Mortis quidem ipse tibi causa non fias.
Si quis autem uult te corpore exuere, ne indigneris.
Sapientem de corpore si quis extrudat iniuste, in iniquitate sua beneficium ei præstat: absoluit eñ tanq; de uinculis.
Hominẽ metus mortis contristat pro imperitia animæ.

Ferrum

Ferrum quidem in quo homines interimuntur, optimum quidem fuerat non fieri, factum tamē apud te non ſit.

Nulla ſimulatio multo tempore latebit, & maxime in fine.

Prout ſunt mores tui, talis & uita tua.

Mores enim religioſi faciunt uitam beatam.

Qui cogitat aduerſus alium mala, ipſa præueniēs, ipſe præfert mala.

Non te impediat a benefaciendo homo ingratus.

Nihil rerum maioris precij ducas, ꝗ petit is qui accipit.

Optime utitur facultatib9 is, qui indigētib9 libēter tribuit.

Fratrem uolentem a fide recedere, perſuade ne faciat: & ſi inſanabilis eſt, magis conſerua.

In fide conare om̄es homines uincere.

Intellectum non prius habebis, ꝗ intellexeris te habere.

Sufficientiam ſeruare ſtude.

Membra corporis ſarcina ſunt ijs, qui eis non utuntur.

Miniſtrare alijs melius eſt, ꝗ ab alijs miniſtrari.

Quem deus non emittit e corpore, non grauiter ferat.

Sententiam quæ miſericordiam uetat, non ſolum non tenere, ſed audire refuge.

Qui dat aliquid & imputat, contumeliam magis ꝗ beneficium dedit.

Qui tuetur pupillos, erit multorum filiorum ſcd'm deum pater.

Quicquid egeris cauſa gloriæ, hoc erit merces facti tui.

Si quid dederis ita ut hominibus innoteſcat, non homini, ſed propriæ libidini præſtitiſti.

Iracundiam multitudinis, ne prouoces in te.

Diſce quod oportet fieri, ut beatus fias.

Melius est fame mori, q̄ per incontinentiam uentris animā maculare.

Vestimentum putato esse animæ corpus tuum, mundum igitur id conserua.

Qualia gesserit anima studia corpus inhabitans, tales habē bit testes in iudicio.

Immundam animam sibi dæmones immundi uendicant.

Fidelem animam & bonam, in uia dei mali dæmones non impediunt.

Verbum de deo non omni homini committas.

Non est tutum audire de deo homines uanæ gloriæ iactantia corruptos.

De deo etiā quæ uera sunt, loqui periculū est, & non paruū.

De deo nihil dicas quod non didiceris a deo, uel ei qui non credit esse deum, de deo nihil loquaris.

Verbum uerum ut deum honora.

Si imunis nō es a flagiciosis operib9, de deo nihil disceptes.

Sermo uerus de deo, sermo dei est.

Si scis quia acceptum habent de te qđ diligas deum, hi qui te audiunt, tunc eis loquere de deo.

Opera charitatis dei procedant abs te, & tunc sermonem facito de deo.

In multitudine dicere de deo non audeas.

Verbum de deo parcius proferto magis q̄ de anima.

Melius est animā perdere, q̄ uerbū uanū de deo proferre.

Viri amantis deum, corporis potestatem habet, leo & Tyrannus similiter.

Cum tibi minatur Tyrannus, cuius sis tunc memor maxime esto.

Verbum de deo qui loquitur ijs quibus non licet, proditor dei putandus est.

Verbum de deo reticere præstat magis, quam temere proferre.

Qui dicit de deo ea quæ non sunt, contra eum falsum loquitur.

Homo qui nihil habet, quod dicat de deo, uere desertus est a deo.

Deum non cognouit qui non colit.

Non est uerum quod deum colat, qui hominem ledit.

Fundamentũ & initium est cultus dei, amare dei homines.

Qui hominum curam gerit, & orat deum pro eis, iste uere a deo esse putandus est.

Dei proprium est saluare, quos dignos iudicat.

Cultoris autem dei est, orare deum pro salute hominum.

Cum oranti tibi præstitum fuerit qđ poposcisti a deo, tunc tibi potestatem permissam a deo intellige.

Dignus deo homo, deus est, & in hominibus.

Melius est nihil habere, quam multa habentem nemini impartiri.

Si non das egenti cum poscit, non accipis a deo cum poposceris.

Qui ex animo dat cibum indigenti, parũ quidem est quod dat, sed magna fiet ei bonæ uoluntatis retributio.

Deum qui putat esse, & nihil ab eo curari, nihil differt ab eo qui non credit esse deum.

Optime honorat deum ille, qui mentem suam quantũ fieri potest, similem deo facit.

Deus quidem nequaquam indiget, lætatur tamẽ super his qui indigentibus tribuunt.

Fidelium pauca ſint uerba, opera autem multa.
Fidelis qui libẽter uult doceri, operarius efficietur ueritatis.
Præpara & apta te ad tribulationes, & lætus eris.
Neminem ledens, nullum timebis.
Tyrannus beatitudinem non aufert.
Quod fieri neceſſe eſt, uoluntarie ſacrificato.
Quod non oportet fieri, nullo modo facias.
Omnem magis cauſam refer ad deum.
Nemo ſapiens uir eſt qui deorſum reſpicit in terram.
Immẽſa philoſophi libertas nõ ſit in homine, ſed in anima.
Mentiri in uita, decipere eſt & decipi.
Quid ſit deus, agnoſce, & quid in te quod agnoſcit deum.
Dei opus bonum, homo bonus.
Sine deo ſunt hi pro quibus uerbum dei maledicitur.
Animam mors non perdit, ſed mala uita.
Si ſcis a quo factus es, & teipſum agnoſcis.
Non eſt ſecundum deum uiuere, niſi pudice, & bene & iuſte quis agat.
Hominum infidelium uita opprobrium eſt.
Ne te prætereat, & malo ingenio uerba dei ne cõmittas.
Animam de terra fides eleuat ad deum.
Animæ ſapiẽtis magnitudinem non inuenies, ſicut nec dei quidem.
Quæcunq; dat mundus, nemo firmiter tenet.
Quæcunq; dat deus, nemo auferre poteſt.
Diuina ſapientia, uere eſt ſcientia.
Immundæ animæ ne audeas loqui, experimentum de deo.
Viri periculum in operibus primo, ſicut in uerbis facito.
Aures tuas non omnibus committas.

Operari

Operari quidem de deo omnibus facile eſt, dicere autem de deo, ſoli iuſto permittendum eſt.

Non cruciet anima tua corpus tuum, neq; animam tuam libido corporis.

Inſueſce teipſum quidem corpori præbere quæ ſua ſunt caſte, & animæ quæ ſua ſunt pie.

Paſce animam tuam uerbo dei, & corpus ſimplicibus cibis.

In illis inſueſce animã tuã gaudens, in quib⁹ recte gaudeat.

Anima quæ iniquis rebus gaudet, indigna eſt apud deum.

Sapientis anima audit deum.

Sapientis anima aptatur a deo.

Sapientis anima ſemper eſt cum deo.

Cor diligentis deum, in manu dei ſtabilitum eſt.

Animæ aſcenſus ad deum, per uerbum dei eſt.

Sapiens ſequitur deum, & deus animam ſapientis.

Gaudet rex ſup his q̊s regit, gaudet ergo deus ſup ſapiẽtẽ.

Inſeparabilis eſt ab his quos regit ille qui regit, ita ergo & deus ab anima ſapientis, quam tuetur & regit.

Diſpenſatur a deo uir ſapiens, & idcirco beatus eſt.

Anima ſapientis probabilis apud deum eſt, ſed & mens.

Sapiens uir & cum tacet, honorat deum.

Venerem & ea quæ ſub aluo ſunt non cõtinens, nec fidelis.

Homo incontinens polluit deum.

Hominem ſcientia dei paucis uerbis uti facit.

Multis uerbis uti de deo, ignorantia dei facit.

Homo qui deum ſcit, non multa ambitione utitur.

Qui electus dei eſt, facit quidem omnia ſcd'm deum, eſſe autem ſeipſum non iactat electum.

Fidelis homo ſemper in mœtu eſt, uſq; quo eat ad deum.

Homo

Homo qui ſecundo ſatiatur cibo, nō dormit noctu, nec concubitum effugit, ſed nec dignus eſt apud deum.

Sapientē, fatum nō facit, gratia enim dei fato non ſubiacet.

Alioquin & deus grauiter accipit libidines corporis.

Fidelis uir continentia paſcitur.

Agnoſce qui ſunt filij dei in creaturis eius, & honora unumquemq; pro merito poſt deum.

Nihil proprium dei dicas, quod malum eſt.

Fidelis anima caſta, & ſapiens propheta ueritatis dei eſt.

Non amabis dn̄m deū, niſi habueris in te aliquid ſimile dei.

Amicum deputa ſimilem ſimili tantummodo.

Si non diligis deum, non ibis ad deum.

Conſueſce teipſum, ſemper reſpicere ad deum.

Intuendo deum, uidebis deum.

Videns deum, facies mentem tuam qualis eſt deus.

Excole quod intra te eſt, nec ei ex libidine corporis contumeliam facias.

Incontaminatum cuſtodi corpus tuum, tanq̄ ſi indumentum acceperis a deo, & ſicut ueſtimentum corporis tui immaculatum ſeruare ſtude.


Sapientis mens, ſpeculum eſt dei.

Immundæ autem animæ nil audeas de deo dicere.

ENCHIRIDII XYSTI PYTHAGORICI

INTERPRETE RVFINO

FINIS.



BASILEAE APVD IOANNEM
FROBENIVM MENSE
VIIIBRI. AN.
M D XVI.

177

γίνεσθε φρόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις.

Prudens simplicitas amorq; recti.



היו ערומים כנחשים ותמימים כיונים

ἀκέραιοι ὡς αἱ περιστεραί.

